Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

# De fontibus Plutarchi et Appiani in vita Sullae enarranda

https://hdl.handle.net/1874/241912

# DE FONTIBUS

# PLUTARCHI ET APPIANI

## IN VITA SULLAE ENARRANDA.

# DE FONTIBUS

# PLUTARCHI ET APPIANI

## IN VITA SULLAE ENARRANDA.

Ex Typographio J. VAN BOEKHOVEN, Traiecti ad Rhenum.

Dissertatie 1882.

# DE FONTIBUS PLUTARCHI ET APPIANI

## IN VITA SULLAE ENARRANDA.

DISSERTATIO LITTERARIA INAUGURALIS,

QUAM

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

I. I. P. VALETON IUN.

THEOL. DOCT. ET IN FACULTATE THEOL. PROF.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

BERNARDUS HENRICUS STERINGA KUYPER,

EX OPPIDO IJSELSTEIN,

**Die II mensis Decembris A. MDCCCLXXXII, Hora III.**

BIBLIOTHEEK DER UNIVERSITEIT TE UTRECHT

TRAIECTI AD RHENUM

APUD A. F. BLANCHE ET SOC

MDCCCLXXXII.

PATRIS

PIAE MEMORIAE

MATRI

OPTIMAE CARISSIMAE

SORORIBUS

DILECTISSIMIS

SACRUM.

Lubentissime hancce amplector occasionem Viris Amplissimis, qui mihi per spatium meum academicum Mentores optimi fuerunt, agendi gratias. Quas in primis Tibi persoluo, Vir Clarissime WIJNNE, promotor aestumatissime, qui mihi non solum per omne illud tempus, quod in hac uniuersitate uersatus sum, sed usque ad hunc diem, praesertim in hacce dissertatione conscribenda, praesto fueris doctrina et beneuolentia Tua.

Maxima profecto Vobis, Viri Clarissimi VAN HERWERDEN et FRANCKEN, a me habetur gratia. Uberrimi fructus sunt, quos e Vestris percepi lectionibus, quas me frequentasse usque laetabor. Vestra erga me merita nunquam obliuiscar.

Etiam Tibi, qui nunc es rude donatus, Amplissime BRILL, cuius nunquam mihi defuit humanitas, ac Tibi, Clarissime OPZOOMER, qui studiis meis magna semper liberalitate fauisti, me permultum debere grato animo profiteor.

# INDEX.


Pag.

PROOEMIUM . . . . . 1

CAPUT I. DE VITA SULLAE, QUATENUS PERTINET AD BELLUM IUGURTHINUM ET AD GALLICAS RES . . . . . 11

CAPUT II. DE SULLAE IN BELLO SOCIALI REBUS GESTIS . . 19

§ 1. Conparatur narratio Plutarchea cum narratione Appianea. . . . . 19

§ 2. De fontibus Plutarchi et Appiani in hisce rebus enarrandis . . . . . 25

CAPUT III. DE SULLA ET MARIO, ACTORIBUS IN BELLI CIVILIS PARTE PRIORE, QUAE EST USQUE AD MARII MORTEM . . . . . 30

§ 1. Plutarchi et Appiani narrationes inter sese conparantur . . . . . 30

§ 2. Quaeritur unde Plutarchus et Appianus sua de factis Sullae et Marii in prioribus belli ciuilis usque ad Marii excessum annis hauserint. . . 47

CAPUT IV. DE SULLA IN PRIMO BELLO MITHRADATICO ROMANORUM DUCE. . . . . 57

§ 1. Quae Plut. Sull. 11—26 et App Mithr. 22—63 huc pertinentia referunt breui in conspectu ponuntur. . . . . 57

Pag.

§ 2. Inuestigatur, ad quosnam redeant auctores quae a Plutarcho et Appiano traduntur de rebus gestis Sullae ab initio inde belli usque ad pugnas apud Chaeroneam et Orchomenum. . . . . 63

§ 3. E quibusnam sua repetiuerint scriptoribus Plutarchus et Appianus, uitae factorumque Sullae in altera parte belli usque ad eius in Italiam reditum narratores, quaeritur. . . . . 87

CAPUT V. QUOMODO SULLA PRINCIPATUM REI PUBLICAE ADQUISIVERIT IN BELLO CIVILI, ITERUM EXORTO, EXPONITUR . . . . . 101

§ 1. Recensentur, quae Plutarchus et Appianus hac de re memoriae prodiderunt . . . . . 101

§ 2. De auctoribus Plutarchi et Appiani, res Sullanas in belli ciuilis parte posteriore tradentium . . 119

CONCLUSIO. . . . . 134

THESES. . . . . 135

# PROOEMIUM.

In historia Romana haud dubie memoratu dignissima sunt tempora belli Iugurthini, bellorum cum Cimbris et Teutonis gestorum, belli socialis, primi belli ciuilis, belli Mithradatici primi. Quibus de rebus quaerentis in primis est, uitas, facta, mores eorum uirorum cognoscere, qui primas eis temporibus egerunt partes. Is igitur in uitas Marii et Sullae, arcte cohaerentes cum ipsa Romana historia, inquirere debet. Quod tamen, cum fontes, e quibus illae res hauriendae sunt, non abundent, perdifficile est. Quod ad bellum Iugurthinum adtinet, habemus Sallustium, auctorem eximium sed breuem in exponendis duorum illorum uirorum moribus. De Sulla u. c. haec dicit: „sed quoniam nos tanti uiri res admonuit, idoneum „uisum est de natura cultuque eius paucis dicere: neque „enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus." (Sequitur breuissima sed egregia morum Sullae descriptio.) [1] Habemus porro nonnulla, quae uel in uniuersum ad tempora supra dicta, uel ad bella singula, uel ad conditionem rei Romanae spectant, qualia praebent Cicero hic illic, Sallustius in Catilina, Diodorus, Strabo, Valerius Maxi-

[1] Sall. *Iug.* 95.

mus, Velleius, Plinius, Florus, Eutropius, Auctor de uiris illustribus, Orosius.

Non amplius exstant commentarii eorum, qui de uita sua scripserunt, quorum in numerum ipse Sulla referendus est. Verum, etiamsi haec scripta aetatem tulissent, tamen in usurpandis illis magna cautio esset adhibenda, quia autobiographi Romani solebant se ipsi laudare suaque facta ad coelum ferre. Accedit, quod uiri illi erant Optimates, itaque scriptores, qui suae factionis studiosi in rebus tradendis tantummodo partium studio ducebantur. Numero fuere quinque, nempe: M. Aemilius Scaurus, P. Rutilius Rufus, Q. Lutatius Catulus, L. Cornelius Sulla, L. Licinius Lucullus. [1]) Quoniam Sullae commentarios posthac saepius testem inuocabimus, idoneum uidetur de eis quaedam dicere: fuerunt libri XXII [2]), quos, siue omnes seu pro maxima parte, Sulla aetate extrema composuit. [3]) Idem uidetur in rebus suis narrandis Latino sermone usus esse. [4]) Quomodo commentarii inscripti

---

[1]) SURINGAR, *de Rom. Autobiographis* in Progr. Gymn. Leid. 1846, p. 4 sqq. — H. PETER, *hist. Rom. rell.* Lips. Teubn. 1870, I. p. CCLII sqq. et p. 185 sqq.

[2]) PLUT. *Sull.* 37. — SUET. *ill. gramm.* 12.

[3]) PLUT. ibid., ubi legimus, Sullam paucis ante mortem diebus librum confecisse suarum rerum supremum. — SUET. ibid. narrat, Cornelium Epicadum, Sullae libertum, librum nouissimum, a dictatore imperfectum relictum, suppleuisse. — cf. H. PETER, *rell.* I. p. CCLXXVII.

[4]) PLUT. *Sull.* 34, qui cognomen *Felix* vertit per *Εὐτυχής*. — GELL. *noct. Att.*, I. 12. § 16; XX. 6. § 3. (ed. Lion, Gött. 1824, Vol. I. p. 106; Vol. II. p. 585). — PRISCIAN. IX. 39. ed. Keil. Gramm. Latt. Lips. 1860, III. 476. 4. — cf. H. PETER, *rell.* I. p. CCLXXVIII. — KIEWIET DE JONGE, *de G. Mario et de scriptt. qui de eius temporibus egerunt*, Dordraci 1881, p. 7. — HEEREN, *de fontt. Plut.*, Gött. 1820, p. 151 nihilo minus contendit, Sullam graece scripsisse.

essent non constat, nam iidem a Cicerone uocantur „Historia" [1]), a Gellio „Rerum Gestarum libri" [2]), a Prisciano „Rerum suarum libri" [3]), a Plutarcho ὑπομνήματα [4]). Dedicauerat autem suos libros Sulla Lucullo [5]).

Scriptores uero, e quibus in primis res Sullanae et Marianae ducendae erunt, sunt duo Graeci fere aequales, Plutarchus et Appianus. Qui cum materiam praebeant comparandi, mihi haud inutile uisum est, ea quae memoriae prodiderunt de persona, uita, factis Sullae deque simultate, in qua hic cum Mario fuit, adcurate inter se conferre. Mihi autem operam danti, ut certior fiam de eis, in quibus narrandis hi duo scriptores inter sese discrepent aut consentiant, praesertim inquirendum erit in fontes, qui illis ad manum fuerint, ut e pretio fontium quanti ipsi aestimandi sint conligam. Prius uero paucis dicam de ipsis his scriptoribus deque eorum scriptis in uniuersum.

---

Plutarchus natus est Chaeroneae [6]) anno circiter quinquagesimo p. C. n. [7]), Claudio igitur imperatore. Artibus et disciplinis instructus est Athenis ab Ammonio peripatetico [8]).

---

[1]) Cic. *de Diuin.* I. 33. 72.

[2]) Gell. l.l. l.l.

[3]) Priscian. l.l.

[4]) Plut. passim; uariat librorum titulum *Lucull.* 1: „*Σύλλας τὰς αὐτοῦ πράξεις ἀναγράφων.*"

[5]) Plut. *Sull.* 6; *Lucull.* 1 et 23.

[6]) Plut. *Sull.* 16 extr.; *Dem.* 2; *de curios.* 1; *de fort. Rom.* 4. cf. de hoc oppido Volkmann *Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chaeronea*, Berlin 1869, I. p. 16—20.

[7]) Phot. *Bibl.* ed. Imm. Bekk., Berol. 1824, cod. 245, p. 400: „*ὅτι Πλούταρχος ἐπὶ Νέρωνος ἦν.*" — Volkm. I., p. 20 et 27.

[8]) Eunap. *Vit. Soph.* praef. p. 11. cf. Volkm. I., p. 26 et 27.

Dein multas suscepit peregrinationes, de quibus passim ipse loquitur. Memorat u. c. itinera, quae Alexandriam [1]) atque Romam [2]) fecit. Hic diu uixit atque lectiones de philosophia habuit responsaque dedit ad quaestiones sibi positas. [3]) Chaeroneam reuersus multis in patria functus est honoribus [4]), etiam, si uera dicit Suidas [5]), consulatu. Hunc honorem, quo omnibus aliis Illyriae magistratibus erat praepositus, eodem Suida auctore [6]) a Traiano accepit. Ex Hieronymo uero conligendum uidetur, Hadrianum ei consulatum mandasse et quidem 119 p. C. [7]) Quo anno Plutarchus mortuus sit ignoramus.

Scripta Plutarchi sunt multa, quorum plurima ad posteritatem peruenerunt. Quae autem exstant uulgo in duas classes describuntur, nempe in Παράλληλοι Βίοι, numero LXXXIII, et in Βίοι, numero L. Inter has vitas XXXVIII sunt, quas ita inter se comparauit, ut semper conligeret, quid inter binas iuxta compositas esset discriminis aut quae eis communia essent, quam ob causam uocantur parallelae. Quod quidem Plutarchus in hisce uitis describendis potissimum spectauit, mentem, animum, naturam hominum depingere, sine dubio egregie perfecit.

---

[1]) PLUT., *quaest. conuiual.* lib. V. quaest. V. cap. I. § 1, ed. Dübner Paris. Didot 1877, Moral. Vol. II. p. 825.

[2]) PLUT. *Dem.* 2.

[3]) PLUT. *Dem.* 2; *de frat. amor.* 4.

[4]) PLUT. *praecept. ger. reip.* 15; *Dem.* 2; *quaest. conuiual.* lib. II. quaest. X. cap. I. § 1, ed. Dübn. Moral. Vol. II. p. 779; lib. VII. quaest. II. cap. I. § 5, ed. Dübn. Moral. Vol. II. p. 853. — cf. VOLKM., I. p. 52—55.

[5]) SUID. s. u. *ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΣ*, ed. Bernh. II. 2. p. 315.

[6]) SUID. ibid.

[7]) HIERONYM. in *Chron. Eusebii* Ol. 224 = ann. Abrah. 2135 = ann. imp. Hadr. 3, ed. A. Mai et Ioh. Zohrabi, Mediol. 1818, lib. II, p. 382.

Sed unum in primis uitium in opere eius fere ubique animaduertimus: homines Plutarchei nimis probi sunt factaque corum semper ferme recte facta. Interdum tantum tamen personas inducit, quae contra lectori nil nisi praua excogitare potuisse uidebuntur. Quod idcirco fecisse uidetur, ut ii quos laudat eo magis enitescerent.

In Plutarcho, suum iudicium faciente de uiris, quorum uitas describit, ingenii acumen non obseruamus. Nullo quoque modo artem quam uocamus criticam adhibuit.

Fontes eius in uniuersum et commentariorum et historiarum scriptores fuere, quos nonnunquam exscribens semper temere sequitur. Si scriptores nominatim adfert, quod saepe omittit, ex hoc non sequitur, eum eis usum esse. Constat, eum hic illic etiam alium nominasse auctorem, quam quo reuera usus sit. [1]) Cui uero iudicio aequitas exigit ut addam, eum meliores selegisse auctores in uitis Graecorum quam in uitis Romanorum scribendis. [2]) Praeterea non optime linguam sciebat Latinam, ut ipse testatur, [3]) quare ueri simile est, cum nonnunquam auctores suos male intellexisse. [4])

Appianus, Alexandriae natus, postea Romae uixit, ubi causidicus fuit atque familiariter usus est M. Cornelio Frontone, philosophiae simul et dicendi praeceptore, uel, ut Romani dicere solebant, rhetore siue sophista. Deinde in

---

[1]) H. Peter, *die Quellen Plutarchs in den Biogr. der Römer*, Halle 1865, Einl., p. 4.; text. p. 82.

[2]) Haug, *die Quellen Plut. in den Lebensbeschr. der Griechen*, Tubingen 1854, Vorrede, p. IX.— H. Peter, *d. Q. P.* Einl., p. 3 et 4.

[3]) Plut. *Dem.* 2.

[4]) De qua re uid. Heeren, *de fontt. Plut.* p. 99. — H. Peter, *d. Q. P.* Einl. p. 3; text. p. 61 not. — Klapp, *de uit. Plut. auctt Rom.*, Bonn 1862, p. 3. — Lagus, *Plut. uit. Ciceronis scriptor*, Helsingfors 1848, p. 16. — Volkm., I. 35 et 36.

urbem patriam rediit, ubi procuratoris munere functus est [1]). Vixit autem Traiano, Hadriano, Antonino Pio imperantibus. [2])

Opus eius inscriptum Ῥωμαϊκὴ ἱστορία continebat secundum Photium [3]) XXIV libros, qui erant: Ῥωμαϊκῶν Βασιλικὴ, Ἰταλικὴ, Σαυνιτικὴ, Κελτικὴ, Σικελικὴ καὶ νησιωτικὴ, Ἰβηρικὴ, Ἀννιβαϊκὴ, Λιβυκὴ Καρχηδονικὴ καὶ Νομαδικὴ, Μακεδονικὴ, Ἑλληνικὴ καὶ Ἰωνικὴ, Συριακὴ καὶ Παρθικὴ, Μιθραδάτειος, Ἐμφυλίων πρώτη, δευτέρα, τρίτη καὶ ἕξῆς μέχρι τῆς ἑνάτης, ἑκατονταετία, Δακικὴ, Ἀράβιος.

Schweighaeuserus et Hannakius alium habent librorum ordinem, e libris ductum manu scriptis. [4])

Quorum librorum aetatem tulere Ἰβηρικὴ, Ἀννιβαϊκὴ, Λιβυκὴ, Ἰλλυρικὴ [5]), Συριακὴ, Μιθραδάτειος et libri quinque τῶν Ἐμφυλίων. Caeterorum pars maior periit. Fragmenta tantum restant τῆς Βασιλικῆς, Ἰταλικῆς, Σαυνιτικῆς, Κελτικῆς, Σικελικῆς καὶ νησιωτικῆς, Νομαδικῆς, Μακεδονικῆς.

Inter libros autem, qui integri exstant, principem obtinent locum quinque libri, *de Bellis Ciuilibus* inscripti. Initio libri primi iam statim auctor indicat, se de seditionibus ac de discordiis ciuilibus scripturum esse. Tum prima secessio plebis in Montem Sacrum et bellum,

[1]) App. praef. 15, ed. Mendelssohn Teubn. 1879, Vol I. p. 14. — Egger, *ex. crit. des hist. anciens de la vie et du règne d'Aug.* 1844, p. 244. — Naber, *M. Cornelii Frontonis et M. Aurelii Imperatoris Epistulae*, Lips. Teubn. 1867, p. 170; 244; 246. — Hannak, *App. und seine Quellen*, Wien 1869, p. 7. — Westermann, Paully Real Encycl. II. p. 1340.

[2]) App. praef. 6 et 7, l.l. p. 7; *Hisp.* 38; *Syr.* 50; *B. C.* I. 38; II. 86 et 90. — Phot. ed. Imm. Bekk. cod. 57, p. 17.

[3]) Phot. ed. Imm. Bekk. cod. 57, p. 15.

[4]) Schweigh. *Opusc. acad.* P. II. *exercit. in App.*, Argentorat. 1806, p. 15 sqq. — Hannak, p. 13.

[5]) Huius libri non nisi fragmentum exstabat ante 1590, quo anno primum editus est e Codd. Mss. rei publ. Augustanae ab Hoeschelio, Aug. Vindel.

a Coriolano patriae inlatum, obiter ab Appiano perstringuntur. Cap. 2—5 tempora Ti. Sempronii Gracchi, Sullae, Caesaris, Augusti, bella igitur ciuilia inde ab anno 133 usque ad annum 30 breui in conspectu ponuntur. Quarum rerum materiam Appianus ita digerit: „ἐνθάδε „μὲν ὅσα ἐπὶ Κορνήλιον Σύλλαν ἀπὸ Σεμπρωνίου Γράκχου· „ἑξῆς δὲ ὅσα μέχρι Γαΐου Καίσαρος τῆς τελευτῆς, αἱ δὲ „λοιπαὶ τῶν Ἐμφυλίων βίβλοι δεικνύουσιν ὅσα οἱ Τρεῖς ἐς „ἀλλήλους τε καὶ Ρωμαίους ἔδρασαν. μέχρι τὸ τελευταῖον „δὴ τῶν ςάσεων καὶ μέγιςον ἔργον, τὸ περὶ Ἄκτιον Καίσαρι „πρὸς Ἀντώνιον ὁμοῦ καὶ Κλεοπάτραν γενόμενον, ἀρχὴ „καὶ τῆς Αἰγυπτιακῆς ἔςαι" [1]. Primus igitur *Bellorum Ciuilium* liber meo inseruiet proposito, quia res Sullanas complectitur. Neque liber, qui inscriptus est „Μιθραδάτειος", mihi neglegendus erit.

Ad uitia, quae scriptis Appiani adhaerent, pertinent socordia in rebus chronologicis et geographicis atque neglegentia in scribendis nominibus propriis. Chronologiam praesertim minimi fecisse Appianum ex ipsius adparet verbis: „τοὺς „δὲ χρόνους ἐπὶ μὲν πᾶσι περισσὸν ἡγούμην καταλέγειν· „ἐπὶ δὲ τῶν ἐπιφανεςάτων ἐκ διαςήματος ὑπομνήσω." [2] Alterum, quod animaduertimus, est praua Appiani con-

---

[1]) App. *B. C.* I. 6. — Libri de rebus Aegyptiacis, in quibus, ut ex ipsius uerbis liquet, Appianus reliqua bella ciuilia deinceps persecutus fuerit, perierunt. Veri autem simile est, principio fuisse nouem *de B. C.* libros (Phot. ed. Imm. Bekk. cod. 57, p. 16), nam Aegyptiaca uidentur in quattuor libros fuisse diuisa, cf. Bekker, *Anecd. Gr.* 1814, p. 139 alin. 31, p. 174 alin. 14, p. 179 alin. 21.

[2]) App. praef. 13, ll. p. 12. cf. App. *Hisp.* 28 et 34; *Pun.* 27; *Hannib.* 29; *Syr.* 6; *Hisp.* 48 et 67; *B. C.* I. 87 et 103; *Mithr.* 33; *Mithr.* 116; *Pun.* 126; *Pun.* 127; *Mithr.* 170; *Pun.* 110, ubi locutionibus ut *μετὰ δὲ τοῦτο*, *τοῦ δὲ ἐπιόντος ἔτους*, *ἅμα δὲ ἦρι*, caet. utitur. Vid. Wijnne, *de fide et auct. App.*, Gron. 1855, p. 96 et 103 sqq.

suetudo nomina Romanorum peruerse scribendi aut eosdem homines uarie adpellandi [1]). Multus est Appianus in enarrandis oraculis, prodigiis, ominibus, somniis, quae more philosophorum, de prouidentia diuina disserentium, interpretatur [2]).

Inter uirtutes Appiani numeretur studium eius uerum dicendi causasque rerum inuestigandi. Neque gloriae cupiditate, neque lucri studio libros suos composuit, quod ei semper magnae laudi erit. Praua igitur ambitio, adulatio, adsentatio, blanditia scriptis eius procul absunt. „Le principal caractère", egregie dicit Eggerus, „qui „recommande Appien à notre estime, c'est une parfaite „candeur. Pas la moindre flatterie envers les puissan- „ces du jour, ni dans le présent, ni dans le passé" [3]). Scripsit igitur Appianus perinde ac Tacitus de se ipse dicit [4]) *sine ira et studio*. Laudandus etiam est Appianus, cum quia rerum narrationi frequentissime numeros adponit [5]), tum quoniam uberrimus est in enumerandis personis, quae in bellis ciuilibus primas vel secundas partes egerunt [6]). Multis tandem in rebus tradendis industriam posuit maiorem aliis, u. c. Plutarcho [7]), neque paucae sunt res memorabiles, hodie unicuique notae, quae sine Appiano nostra aetas aut prorsus nesciret aut minus exacte nouisset [8]).

---

[1]) Wijnne, p. 108 sq.

[2]) App. *B. C.* I. 97; II. 18 et 60; V. 80; I. 115; II. 69 et 115; IV. 101 et 110; *Syr.* 64; *Mithr.* 20; *Pun.* 136. cf. Wijnne, p. 78. sq.

[3]) Egger, p. 250.

[4]) Tac. *Ann.* I. 1.

[5]) App. *B. C.* I. 118; II. 110; III. 24; III. 47; III. 54; IV. 5; V. 3.

[6]) App. *B. C.* I. 60 et 65; II. 113; IV. 12.

[7]) App. *B. C.* I. 9; 22; 27. — Plut. *Ti. Gr.* 9.

[8]) App. *B. C.* I. 39; 41; 42; 43; 45; 47; 48; 59; 86; 87 -92; 94; 99; 102.

Compilatorem Appianum fuisse perhibent Wachsmuthius [1]), Niebuhrius [2]), Ulrici [3]), Ramshorn [4]), von Vincke [5]), Hagen [6]), negant uero Schweighaeuserus [7]), Wyttenbachius [8]), Eggerus [9]), Bernhardy [10]), Dornseiffius [11]).

Fontes suos Appianus raro indicat, quare permolestum est, unde sua hauserit quaerere. Praeterea multa scripta, quae contulisse potuit Appianus, periere. Nouimus tamen, eum adiisse Scta, IIIuirorum decreta, epistulas, proscriptionum tabulas [12]). Hoc iam satis demonstrat, Appianum sua non ubique compilasse.

In fontes Appiani inquisiuere multi recentiores scriptores. Iam liceat mihi explorare, quinam fuerint auctores Appiani in rebus Sullae enarrandis. Disputabo

---

[1]) WACHSM., *Allgem. Encyclop. der Wissensch. u. Kunste von J. S. Ersch u. J. G. Gruber*, Leipz. 1820, Th. V. p. 6 sq. s. v. Appianos.

[2]) NIEB. *röm. Gesch.* 1832. III. p. 246 not.; *Vortr. über röm. Alterth.* ed. Isler, Berlin 1858, I. p. 60; 254. II. p. 239.

[3]) ULRICI, *Charakt. der ant. Hist.* p. 73; 242, Berlin 1833.

[4]) RAMSH. *de rei publ. Rom. form.*, Lips. 1835, p. 2 sq.

[5]) VON VINCKE, *der 2e Pun. Krieg*, 1841, p. 55; 68.

[6]) HAGEN, *Unters. über röm. Gesch.* I. *Catil.* p. 18, Königsb. 1854.

[7]) SCHWEIGH. *exercit. in App.*, p. 83 sq.

[8]) WYTTENB. *Bibl. crit.*, Amst. 1808, Vol. III. P. I. p. 92 sqq.

[9]) EGGER, p. 249; 251.

[10]) BERNH. *Grundr. der Gr. Litt.* 4e Aufl., Halle 1876, I. p. 624 f.

[11]) I. DORNSEIFF. *de Sex. Pomp. M. Cn. M. f.*, Trai. a/R. 1846, p. 10.

[12]) APP. *B. C.* III. 51; 61—63; 74 (de Sctis); *B. C.* IV. 31; 32 (de IIIuirorum decretis); *B. C.* II. 28; II. 32; 79 (de epistulis); EGGER, p. 16 (de proscriptionum tabulis) E *B. C.* IV. 19 adparet, Appianum uillam Ciceronis Formianam ob mortis eius memoriam inuisisse. Ipse enim dicit totidem uerbis: „*χωρίον*" (uilla Ciceronis) *ὃ καθ' ἱστορίαν τοῦδε τοῦ πάθους εἶδον.*"

igitur de fontibus eius in *Numidicis*, in *Gallicis*, in *Bellorum Ciuilium* libro I[o] et in *Mithradaticis*. Praeterea disseram de auctore uel de auctoribus Plutarchi in *uitis Sullae et Marii* depingendis. Loci autem utriusque scriptoris, de quibus dicam, sunt:

PLUT. *Sull.* 3; 4 = APP. *Num.* fg. 4 et 5; *Gall.* fg. 1, 2 et 1, 3; 13; 14.

PLUT. *Sull.* 5—10
PLUT. *Mar.* 35—46 = APP. *B. C.* I. 34—75.

PLUT. *Sull.* 11—26 = APP. *Mithr.* 22—63.

PLUT. *Sull.* 27—38 = APP. *B. C.* I. 79—106.

# CAPUT I.

## DE VITA SULLAE, QUATENUS PERTINET AD BELLUM IUGURTHINUM ET AD GALLICAS RES.

PLUT. *Sull.* 3: Sulla quaestor in bello Iugurthino Bocchum, Numidarum regem, amicitia sibi iungit et proditione ab eo Iugurtham in captiuitatem accipit [1]).

APP. *Num.* fg. 4 et 5: Legati Bocchi ad Marium ueniunt, qui, ut ad sese Marius nonnullos conloquendi causa mittat, petunt. Manlius legatus et Sulla quaestor mittuntur. Post hanc legationem rursus alios Bocchus mittit, qui pacem a Mario petant. Hi legati, a latronibus in itinere spoliati, a Sulla liberaliter habentur. Bocchus iam eo inclinans, ut pacem proditione Iugurthae redimat, hoc consilium tegit simulque a Mario petit, ut Sullam ad sese, cum quo de communibus rebus conloquatur, mittat.

De summa rei Plutarchus et Appianus inter se consentiunt. Ille uero loquitur de una legatione, hic de duabus. Ille non dicit, Manlium Sullamque ad Bocchum esse missos [2]). Ex utroque adparet, Iugurtham a socero proditum iri. Congruunt tandem inter se de legatis, a Sulla liberaliter acceptis. Plutarchus sua e nullo alio hausit

[1]) Cf. PLUT. *Mar.* 10.

[2]) PLUT. *Mar.* 10 tantum Sullam nominat, de Manlio nihil habet.

nisi e Sullae commentariis [1]), quod e uerbis Plutarchi liquet. Sulla actor est primarum partium, qui, simulac in castra uenit, rem alio uertit, Bocchum socium et amicum populi reddens Romani. Cum eo sua sponte agit de capiendo Iugurtha. Tum summum adiens periculum, regem captiuum secum in castra Marii ducit. Paullo post legimus: „ὁ μὲν οὖν θριαμβεύων ἐπὶ τούτῳ Μάριος ἦν, „ἡ δὲ δόξα τοῦ κατορθώματος, ἣν ὁ Μαρίου φθόνος Σύλλᾳ „προσετίθει, παρελύπει τὸν Μάριον ἡσυχῇ [2])."

Sallustium, cuius *Historias* in aliis uitis, nempe in uitis Luculli [3]), Crassi [4]), Sertorii [5]), Pompei [6]), inspexisse uidetur, hic neglexit Plutarchus [7]).

Quod adtinet ad Appianum, inueniuntur sane quaedam, quae nobis in memoriam reuocant locos quosdam Sallustii, u. c:

App. *Num.* fg. 4 [8]).

„Ὅτι τοῦ Μαρίου ἐς Κίρταν ἀφικομένου πρέσβεις Βόκχου παρῆσαν, οἳ πεμφθῆναί τινας ἐς λόγους Βόκχῳ παρεκάλουν. καὶ ἐπέμφθησαν Αὖλός τε Μάλλιος ὁ πρεσβευτὴς καὶ Κορνήλιος Σύλλας ὁ ταμίας."

Sall. *Iug.* 102.

„Postea loci consul (Marius) haud dubie iam uictor peruenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo post diem quintum, quam iterum barbari male pugnauerant, legati a Bocco ueniunt, qui regis uerbis ab

[1]) Cf. Heeren, p. 150. — H. Peter, *die Quellen Plut.*, p. 57. — Klapp, p. 24. — De Commentariis Sullae cf. procem. p. 2 sq.

[2]) Cf. Plut. *Mar.* 10. „*καὶ περιῆλθέ τις νέμεσις ἐν τῷ τέλει „τῶν πράξεων Μάριον· ἀφῃρέθη γὰρ ὑπὸ Σύλλα τὴν τοῦ „κατορθώματος δόξαν.*"

[3]) Heeren, p. 156. — Lagus, p. 18. — H. Peter, *d. Q. P.*, p. 106.

[4]) Heeren, p. 159. — H. Peter, l.l. p. 109.

[5]) Heeren, p. 153. — H. Peter, l.l. p. 61.

[6]) Heeren, p. 162. — H. Peter, l.l. p. 112.

[7]) Cf. Sall. *Iug.* 102—113.

[8]) Ed. Mendelssohn 1879, Vol. I. p. 324.

App. ibid.

„Οἷς ὁ Βόκχος ἔφη, Ρωμαίοις πολεμῆσαι διὰ Μάριον· γῆν γὰρ, ἣν αὐτὸς Ἰογόρθαν ἀφείλετο, πρὸς Μαρίου νῦν ἁφῃρῆσθαι."

Mario petiuere, duos quam fidissumos ad eum mitteret; uelle de se et de populi Romani commodo cum his disserere. Ille statim L. Sullam et A. Manlium ire iubet."

Sall. ibid.

„Ad ea Bocchus placide et benigne, simul pauca pro delicto suo uerba facit: se non hostili animo, sed ob regnum tutandum arma cepisse: nam Numidiae partem, unde ui Iugurtham expulerit, iure belli suam factam; eam uastari ab Mario pati nequiuisse."

App. *Num.* fg. 5 [1]).

„Ὅτι ὁ Βόκχος ἑτέρους ἔπεμψε πρέσβεις, οἳ Μαρίου μὲν ἔμελλον περὶ εἰρήνης δεήσεσθαι."

Sall. id. 103.

„Tum rursus Bocchus — — ex omni copia necessariorum quinque delegit — — eos ad Marium ac deinde, si placeat, Romam legatos ire iubet; agendarum rerum et quocunque modo belli componendi licentiam permittit."

App. ibid.

„Μάριον δ' ἠξίου, Σύλλαν οἱ πέμψαι συνελθεῖν ἐς λόγους. καὶ Μάριος μὲν ἔπεμπε τὸν Σύλλαν."

Sall. id. 105.

„Quis rebus cognitis Bocchus per litteras a Mario petiuit, uti Sullam ad se mitteret, cuius arbitratu de communibus negotiis consuleretur. Is missus caet."

[1]) Ed. Mendelssohn 1879, Vol. I. p. 325.

Haud tamen credo, quod Appianus his locis memorauerit e Sallustio manasse, cum alter ab altero nimis differat:

1. Appianus dicit simpliciter: „τοῦ Μαρίου ἐς Κίρταν ἀφικομένου." Sallustius: Marium *intendisse* proficisci Cirtam.

2. App.: „Μαρίου ἀφικομένου πρέσβεις παρῆσαν." Sall.: *post diem quintum* legati ueniunt.

3. Apud App. *Bocchus* uerba facere *incipit*, *Manlius respondet*. Apud Sall.: „qui (L. Sulla et A. Manlius) quam-„quam acciti ibant, tamen placuit uerba apud regem facere, „ingenium aut auorsum uti flecterent, aut cupidum pacis „uehementius accenderent. Itaque *Sulla*, cuius facundiae „non aetati *a Manlio* concessum, pauca *uerba* huiuscemodi „*locutus*."

4. Argumentum orationis Manlii apud Appianum plane diuersum est ab argumento oratiunculae Sullae apud Sallustium.

5. App.: οἳ Μαρίου μὲν ἔμελλον δεήσεσθαι. Sall.: eos *ad Marium ac deinde*, si placeat, *Romam* legatos ire iubet [1]).

Quae res mihi satis graues uidentur, quare Sallustium Appiani auctorem reiciam.

Plut. *Sull.* 4: Sulla legatus Copillum Tectosagum [2])

---

[1]) Hannak, p. 146: „Ueberhaupt können wir am Schlusse der „numidischen Geschichte hervorheben, dass dieselbe von *Sallust* „im Einzelnen abweicht, so dass *dieser nicht als einzige Quelle* „gedient haben kann." Itaque „nicht als *einzige* Quelle," attamen „*als Quelle*", cui ego opinioni aduersor. Praeterea Hannak putat *Iubam* II fontem Appiano fuisse. cf. de hoc Iuba Keller, *de Iuba, Appiani Cassiique Dionis auct.*, Marburg 1872. — Id., *zu den Quellen des Hannibalischen Krieges*, Rhein. Mus 1874, XXIX p. 88. — C. Peter, *Liv. und Polyb. über die Quellen des* XXI *u.* XXII *Buches des Livius*, Halle 1863, p. 77. — Klapp, p. 3–8.

[2]) Erat populus Gallicae gentis.

ducem capit, tribunus militum Marsos [1]) ad societatem cum Romanis adducit, sed animaduertens, se hanc ob causam Mario esse inuisum, Catulo, Marii in bello Cimbrico conlegae, se adiungit, uiro bono sed ad certamina segniori, qui tum nomine tantum dux erat. Marius hoc aegerrime fert. Itaque horum inimicitia, ab initio leui profecta, inde per ciuilem sanguinem ad tyrannidem progressa, Euripidem sapientem fuisse ostendit, qui prauam ambitionem tanquam pestilentiam uitandam esse praecepit.

De bello Cimbrico et Teutonico fusior est Plutarchus *Mar.*, c. 11—27. Relliquiae uero Appiani admodum breues sunt, nam fragmenta tantum et excerpta e *rebus Gallicis* Appiani supersunt [2]). De Cimbris ac Teutonis quaedam habemus *Gall.* fg. 1, 2 et 1, 3; 13; 14 [3]). Praeterea *B. C.* I. 77 haec pauca uerba: „ἐπὶ τοῖς Κιμβρικοῖς πρεσβεύων" ad legationem Sullae in eo bello spectant.

Quod ad fontes Appiani in illis rebus narrandis adtinet, conicio, eum partim e Liuio hausisse, partim e scriptore, cui Caesar fuerit auctor. Ad quam opinionem probandam locos sequentes inter se conferam:

| App. *Gall.* fg. 13 [4]). | Liv. per. LXIII. | Vell. II. 12. |
|---|---|---|
| „Ὅτι τῶν Τευτόνων [5]) μοῖρα λῃσεύουσα πολύανδρος ἐς τὴν γῆν τῶν Νωρικῶν ἐξέβαλεν." | „Cimbri, gens *uaga, populabundi in Illyricum* uenerunt." | „*Effusa immanis uis* Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat." |

[1]) Erat item Gallica gens.

[2]) Vid. prooem. p. 6.

[3]) Haec epitome 14 etiam seruata est apud Suidam uu. *ΑΨΑΥΣΤΩΣ* et *ΚΙΜΒΡΟΣ*, ed. Bernh. I. 1, p. 924; II. 1, p. 256.

[4]) Ed. Mendelssohn 1879, Vol. I. p. 52.

[5]) Hoc perperam dicit Appianus; haud enim Teutoni, sed Cimbri fuere.

App. *Gall.* fg. 1, 2 [1]).

„Πλεῖστόν τι καὶ μαχιμώτατον, τῇ τε ἡλικίᾳ μάλιστα φοβερώτατον χρῆμα Κελτῶν ἐς τὴν Ἰταλίαν ἐξέβαλεν."

Iustin. XXXVIII. 4. 15.

„Simul et a Germania Cimbros *immensa milia ferorum* atque *inmitium* populorum, more procellae, *inundasse Italiam.*"

App. *Gall.* fg. 1, 2 [2]).

„Καὶ δώδεκα μυριάδας κατέκανεν."

Liv. per. LXI.

„Caesa *milia* hominum *centum uiginti* [3])."

App. *Gall.* fg. 1, 2 [4]).

„Ἐφ' οὓς (Κελτοὺς) ὁ Μάριος ἀποσταλεὶς ἅπαντας διέφθειρεν."

Liv. per. LXVIII.

„*Marius* eos hostes *deleuit.*"

App. *Gall.* fg. 1, 3 [5]).

„Οἱ Τιγύριοι δ' αὐτῶν χρόνῳ ἔμπροσθεν Πίσωνος καὶ Κασσίου τινὰ στρατὸν ἑλόντες, ὑπὸ ζυγὸν ἐξεπεπόμφεσαν."

Liv. per. LXV.

„*L. Cassius* consul a *Tigurinis* Gallis, pago Helvetiorum, qui a ciuitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu caesus est. Milites, qui ex ea clade superauerant, obsidibus datis et dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt."

Caesar *B. G.* I. 12.

„Hic pagus unus (Tigurinus) *L. Cassium* consulem interfecerat et eius exercitum *sub iugum miserat.* Qua in re Caesar non solum publicas, sed etiam priuatas iniurias ultus est, quod eius soceri L. Pisonis auum *L. Pisonem* legatum *Tigurini* eodem proelio, quo Cassium, interfecerant."

---

[1]) Ed. Mendelssohn 1879, Vol. I. p. 45.

[2]) Ed. Mendelss. l.l.

[3]) Plin. *Hist. nat.*, VII. 50. — Oros. V. 14, ed. Havercamp. L. B. 1767, p. 320.

[4]) Ed. Mendelss. l.l.

[5]) Ed. Mendelss., Vol. I. p. 46.

Consensu igitur, qui inter Appianum et Liuium, Velleium, Iustinum [1]), nec non inter Appianum et Caesarem esse uidetur, ductus, ueri simile puto, Liuium et Caesarem (aut alium, qui Caesarem secutus sit) auctores fuisse APPIANO in *Rebus Gallicis* describendis [2]). Pro certo habeo, PLUTARCHUM non inspexisse Liuium, nam et ab hoc et a Velleio, et a Floro, qui multa Liuio debet [3]), Marius ualde laudatur. LIV. per. LXVIII u. c. de Mario haec habet: „C. Marius summa ui castra defendit, hostes „deleuit, triumphum oblatum distulit, pro duobus triumphis, „qui obferebantur, uno contentus fuit. Primores ciuitatis „conseruatam ab eo rem publicam fatebantur."

VELL. II. 12 „Populus Romanus non alium repellendis „tantis hostibus magis idoneum imperatorem quam Marium „est ratus."

FLOR. I. 38, 5 [4]) „Actum erat, nisi Marius illi saeculo „contigisset."

Id. I. 38, 7 „Marius mira uelocitate praeuenit hostem; „Teutonas quo — fidem numinum! — proelio oppressit!"

Quid uero tradit Plutarchus? agens de pugna ad Vercellas in bello Cimbrico, haec dicit *Mar.* 25 med.: „Καί „φησι (Σύλλας), τὸν Μάριον, ὅπως ἴδιος ἡ νίκη τῶν „ἐκείνου στρατιωτῶν γένοιτο καὶ μὴ μετάσχοι „τοῦ ἀγῶνος ὁ Κάτλος μηδὲ προσμίξειε τοῖς πολεμίοις,

---

[1]) Velleius usurpauit Liuium. Iustinus epitomator est Trogi Pompei, qui e Liuio hausit. Cf. U. KOEHLER, *qua ratione T. Liuii annalibus usi sint historici Latini atque Graeci*, Gött. 1861, § 1.

[2]) APP. ed. Schweigh. III. p. 184 sqq. — VOLLGRAFF, *Greek Writers of Roman History*, Leyden 1880, p. 51: „Between „Appianus' writing *de Rebus Gallicis* and Caesar's own Memoirs „there is an undeniable connection."

[3]) KOEHLER p. 23—25; 27—29.

[4]) Ed. Halm, Teubn. 1879, p. 50.

κόλπωμα τῶν μέσων, ὥςπερ εἴωθεν ἐν μεγάλοις μετώποις, „λαμβανόντων, οὕτω διαςῆσαι τὰς δυνάμεις."

Id. *Mar.* 26: „Ἐνταῦθα ὁ Μάριος εὔξατο τοῖς θεοῖς κατὰ „ἑκατόμβης· εὔξατο δὲ καὶ Κάτλος. τὸν δὲ Μάριον καὶ „θύσαντα λέγεται, τῶν ἱερῶν αὐτῷ δειχθέντων, μέγα φθεγ- „ξάμενον εἰπεῖν: „ἐμὴ ἡ νίκη." γενομένης δὲ τῆς „ἐφόδου πρᾶγμα νεμεσητὸν παθεῖν τὸν Μάριον „οἱ περὶ Σύλλαν ἱςοροῦσι. κονιορτοῦ γὰρ ἀρθέντος, οἷον „εἰκὸς, ἀπλέτου καὶ τῶν ςρατοπέδων ἀποκεκρυμμένων, „ἐκεῖνον μὲν — — — ἀςοχῆσαι τῶν πολεμίων „καὶ παρενεχθέντα τῆς φάλαγγος ἐν τῷ πεδίῳ διαφέρεσθαι „πολὺν χρόνον, τῷ δὲ Κάτλῳ τοὺς βαρβάρους ἀπὸ „τύχης συρραγῆναι καὶ γένεσθαι τὸν ἀγῶνα „κατ' ἐκεῖνον καὶ τοὺς ἐκείνου μάλιςα ςρατιώτας, ἐν „οἷς αὐτὸς ὁ Σύλλας τετάχθαι φησίν."

Qui hic laudatur certe Marius non est. Marius contra doli mali defertur. Catulo et Sullae secundum Plutarchum omnis eius uictoriae contigit gloria. Passim locis, supra e uita Marii citatis, commentarii Sullae uocantur auctores. Locus Plutarchi *Sull.* 4: „ἐφ' ᾧ φησιν αὐτὸς (ὁ Σύλλας) ἰσχυρῶς ἀνιᾶσαι τὸν Μάριον" ad nullum alium, nisi ad Sullam spectat, quare mihi constare uidetur, Plutarchum sua de rebus Cimbricis ac Teutonicis e libris Sullanis deprompsisse [1]).

---

[1]) Cf. H. Peter, *die Quellen Plut.* p. 101 sq. — Klapp, p. 24.

# CAPUT II.

## DE SULLAE IN BELLO SOCIALI REBUS GESTIS.

### § 1.

**Comparatur narratio Plutarchea cum narratione Appianea.**

PLUT. *Sull.* 5—7. Sulla praeturam urbanam adipiscitur [1]) corruptionibus conciliata sibi multitudine [2]). Quo honore functus in Cappadociam mittitur pro praetore eo praetextu, ut Ariobarzanem in regnum reducat, at reuera, ut Mithradatem reprimat [3]). Ariobarzane rege constituto Orobazus Parthus, Arsacae regis legatus, ad Sullam uenit, circa Euphratem agentem, societatis iungendae causa.

Discordia Sullae cum Mario erumpit, cum Bocchus tro-

---

[1]) Inepte dicit Plutarchus, Sullam *praeturam urbanam ambiisse*, quod nemo Romanus facere poterat. Nam ipsi praetores sorte ducebant, quis inter ciues, quis inter peregrinos ius dicturus esset. Cf. LANGE, *Röm. Alterthümer*, Weidmann 1876, IIIe Aufl., I. p. 783 sq. — Plutarchus igitur pro „ἐπὶ στρατηγίαν πολιτικήν" tantum scribere debuerat „ἐπὶ στρατηγίαν."

[2]) Verba Plutarchi sunt: „τοῦ δήμου τὸ μέν τι θεραπείᾳ τὸ δὲ καὶ χρήμασι προσαγαγόμενος." Secundum PLIN. *N. H.* VIII. 20 et SEN. *de breu. uit.* c. XIII. § 5 ludos edidit magnificos: centum u. c. leones, donum Bocchi, pugnabant in circo soluti cum indigenis Afris.

[3]) Hac de re bis loquitur APP., nempe *B. C.* I. 77: „*Κιλικίας ἡγούμενος*" et *Mithr.* 57: „ἐς μὲν Καππαδοκίαν ἐγὼ (Sulla uerba facit) κατήγαγον Ἀριοβαρζάνην, Κιλικίας ἄρχων, ὧδε Ῥωμαίων ψηφισαμένων."

paeum aureumque Iugurtham Sullae in Capitolio dedicat [1]). Marius inritatus haec deicere uult, Sullam alii adiuuant, ciuitas inflammatur factionibus, seditio in eo est, ut exardescat — sed inhibetur bello sociali [2]). Eo in bello Sulla multis praeclare rebus gestis apud ciues magni, apud socios maximi, apud hostes fortunatissimi imperatoris nomen inuenit [3]). E bello sociali Romam reuersus consul creatur cum Q. Pompeio [4]) annos tum natus quinquaginta [5]).

Eodem autem, quo munus illud adquirit, anno (88) quartam ducit uxorem Caeciliam Metellam, filiam Metelli pontificis maximi [6]). Admodum adulescens Sulla primam duxerat Iliam, quae ei filiolam pepererat, post hanc Aeliam tertiamque Cloeliam [7]), quam ut sterilem honeste tamen

---

[1]) cf. PLUT. *Mar.* 32.

[2]) PLUT. *Sull.* 6: „ὁ συμμαχικὸς πόλεμος, πάλαι τυφόμενος, ἐπὶ τὴν πόλιν ἀναλάμψας τότε τὴν ζάσιν ἐπέσχεν." Eadem dicit *Mar.* 32: „καὶ τὴν ζάσιν ὅσον οὔπω φερομένην εἰς μέσον ἐπέσχεν ὁ συμμαχικὸς πόλεμος, ἐξαίφνης εἰς τὴν πόλιν ἀναρραγείς."

[3]) Cf. PLUT. *Mar.* 33 init.

[4]) VELL. II. 17. — LAU, *Sulla*, Hamburg 1855, p. 186. — MOMMSEN, *Corp. Inscript. Lat.* I. p. 439; 538 sq.

[5]) LAU, ibid.

[6]) Errat hic Plutarchus, nam socer Sullae fuit L. Metellus L. f. Q. n. Delmaticus (cos. 119 MOMMSEN, *C. I. L.* I. p. 624), frater Q. Metelli Numidici (cos. 109 MOMMSEN, *C. I. L.* I. p. 438; 536). Fortasse ei ob oculos uersatus est Q. Metellus Pius Numidici filius, postea (80) cos. cum Sulla (cf. MOMMSEN, *C. I. L.* I. p. 439; 538). Pontifex maximus certe non fuit. Filia autem eius Caecilia Metella primo nupsit M. Scauro cos. 115, cui plures peperit liberos, in quibus quoque M. Scaurum, quem Cicero defendit. Cf. DRUMANN, II. p. 16; p 36 ff. — LANGE, *R. A.* IIe Aufl., III. p. 121, de Caecilia Metella dicit: „Tochter des L. Metellus Delmaticus oder des L. Metellus Diadematus, was sich nicht sicher entscheiden lässt". Vid. tamen DRUMANN, I.l. et II. p. 21 f.

[7]) Scribitur huius mulieris nomen etiam *Coelia*, cf. DRUMANN, II. p. 425; 508.

datisque donis repudiauerat. Paucis uero post diebus Metellam duxit.

Relliquias belli socialis Sulla conficiente Marius domi seditionem concitat, quae multas Romae calamitates intulit. Contendit enim cum Sulla de imperio in bello Mithradatico.

Complura portenta et miracula magnas praesagiunt miserias: ignis u. c. sponte sua e contis emicuit, quibus signa ferebantur militaria; mures in templo sacrum aurum conroserunt, unam aeditui laqueo ceperunt, eaque laqueo etiamnum detenta quinque musculos enixa tres de eis uorauit. Coelo sereno acuta tubae uox exaudita fuit, cuius ad magnitudinem omnes perterriti obstupuerunt.

App. *B. C.* I. 34—53 ita incipit: „ὁ συμμαχικὸς καλούμενος πόλεμος ἐπιγίγνεται ἐθνῶν ἀνὰ τὴν Ἰταλίαν πολλῶν, ἀρξάμενός τε παραδόξως καὶ ἀθρόως ἐπὶ μέγα προελθὼν καὶ τὰς ξάσεις ἐν Ῥώμῃ σῴσας ὑπὸ δέους ἐπὶ πολύ." Tum pergens: „ἤρξατο δὲ ὧδε" narrat, quomodo M. Fuluius Flaccus, primum consul, deinde tribunus, primus omnium Italicis sociis cupidinem iniecerit Romanae ciuitatis, in fauorem eorum ad senatum referens, alias leges sed ad eandem rem pertinentes C. Graccho, conlega eius in tribunatu, promulgante, quibus caesis quo pacto Liuius Drusus, tribunus plebis, uir genere nobilis, sociis flagitantibus, *legem de ciuitate eis danda* rursus promulgare pollicitus, senatorium et equestrem ordinem, tunc maxime propter iudicia dissidentes, aequis conditionibus inuicem conciliare conatus sit. Deinde tradit, socios Italicos, quorum in gratiam potissimum moliretur tribunus, a lege *de coloniis deducendis* [1]), quippe per quam futurum esset ut protinus ipsis ager eriperetur publicus, sibi timuisse, senatum cum equitibus in Drusi odium conspirasse, Drusum autem

[1]) Cf. p. 41 sq.

ipsum domi suae in atrio sub uesperam interemptum esse [1]).

Comperimus porro, equites tum auctores fuisse *Q. Vario*, tribuno plebis, promulgandi *legem de reis faciendis quotquot sociis Italicis*, uiam ad rem publicam adfectantibus, *clam palamue fauissent*. Cui rogationi cum ceteri intercederent tribuni, equites undique strictas sicas intentando effecisse, ut lex perferretur, qua lege perlata *Bestiam* sua sponte in exsilium abiisse primum, post eum *Cottam* urbem reliquisse, *Mummium* uero *Achaicum*, exsilio multatum, Deli uitam exegisse, quibus factis cunctos decreuisse socios, a populo Romano palam deficere, perque occultas legationes foedus iniisse et foedera datis ultro citroque obsidibus confirmasse; conripuisse autem arma finitimos omnes, Marsos, Pelignos, Vestinos, Marrucinos, praeterea Picentinos, Frentanos, Hirpinos, Pompeianos, Venusinos, Apulos Lucanosque et Samnites, nationes iampridem infensas Romanis, quibus denique quidquid populorum a Liri [2]) usque ad Adriaticum sinum, siue mediterranea Italiae seu oram tenuerit maritimam, se adiunxisse. Quibus rebus cognitis Romanos tam ex urbanis copiis quam ex auxiliis sociorum, qui in fide permansissent, emisisse exercitus ducibus Sex. Iulio Caesare [3]) et P. Rutilio Lupo consulibus additis illi legatis P. Lentulo [4]), T. Didio, Licinio Crasso, Cornelio Sulla,

---

[1]) Cf. Oros. V, 18.

[2]) Appianus conicit, Lirim eundem esse ac Linternum. Vid. tamen Schweigh. App. III, p. 694 ad hunc locum.

[3]) Constat, perperam scriptum esse ab Appiano Sex. Iul. Caesarem pro L. Iul. Caesare. Cf. Mommsen, *C. I. L.* I. p. 439; 536 sq. — Ap. Liv. per. LXXIII, Vell. II 15 et Obseq. 55 etiam legimus L. Caesarem. — Sex. Caesar, patruus triumuiri, consul fuit anno priore. Cf. Mommsen, *C. I. L.* I. p. 439; 536 sq. — Drumann, III. p. 113; p. 119 et not. 81; p. 768 et not. 48; IV. p. 320.

[4]) App. *B. C.* I. 40: „*Πόπλιον Λέντλον, ἀδελφὸν αὐτοῦ Καίσαρος.*" —

M. Marcello, huic Cn. Pompeio [1]), Q. Caepione, C. Perpenna, C. Mario, Valerio Messalla. Tandem Appianus sociorum duces nominat T. Lafrenium, C. Pontilium, Marium Egnatium, Q. Pompaedium [2]), C. Papium, M. Lamponium, C. Iudacilium, Herium Asinium, Vettium Catonem.

Quae autem utrinque gestae res sint compendio rettulit Appianus, ut ipse dicit. De Sulla et Mario, in bello sociali, ut uidimus, legatis consularibus, mentionem facit c. 40, 41, 43, 44, 46, 50, 51.

C. 40. Numerat eos inter legatos Marium Rutilii consulis, Sullam Caesaris.

C. 41. Dicit, relliquias exercitus Perpennae, a P. Presentaeo cum decem milibus fugati, C. Mario a Rutilio cos. esse adtributas adempto Perpennae imperio.

C. 43. Narrat, Marium ipso Rutilio in pugna ad Lirim capite sauciato, paullo post ex eo uulnere mortuo castra Vettii Catonis expugnasse.

C. 44. Exercitum Rutilii senatus commisit C. Mario et Q. Caepioni. Hunc, nec non multos ex his, qui cum eo erant, profligauit et interfecit Q. Pompaedius. Reliquum eius exercitum ad Marii copias adiunxit senatus.

C. 46. C. Marius Marsos, sese adortos, egregie reppulit, usque ad sepes uinetorum persecutus. Quas cum hostis aegre quidem transscenderet, Mario non uisum est, hac eos insequi amplius. Cornelius uero Sulla, qui ab altera uinetorum parte castra habebat, re intellecta fugientibus occurrens et ipse multos interfecit.

---

Schweigh. App. III. p. 695 suspicatur, intercidisse post P. Lentulum *C. Caesaris* nomen, qui frater fuit consulis.

[1]) Erat pater Cn. Pompei Magni triumuiri. Cf. Drumann, IV. p. 318 et 320.

[2]) Cf. Strabo, V. 4. § 2, ed. maior. Kramer, Berol. 1844, Vol. I. p. 383: „*Μαρσικὸν δὲ ὠνόμασαν τὸν πόλεμον ἀπὸ τῶν ἀρξάντων τῆς ἀποστάσεως, καὶ μάλιστα ἀπὸ Πομπαιδίου.*"

C. 50. Sulla profligauit L. Cluentium, qui tamen deinde, auxiliis Gallicis auctus, rursus cum Sulla castra contulit. Gallus inmani statura prouocat ad singulare certamen e Romanis aliquem; prodit Numida staturae exiguae, qui Gallum conficit. Tum Galli confestim terga uertunt, nec reliqui loco suo manent Cluentiani. Quos Sulla persecutus in ipsa fuga ad XXX milia cecidit, circa moenia Nolae alia XX milia, et in his Cluentium fortiter pugnantem.

C. 51. Sulla in Hirpinos mouit et Aeculanum oppidum cepit. Reliquis porro oppidis captis omnis populus Hirpinorum in fidem receptus est. Hinc in Samnium bello translato Bouiano Sulla potitus est. Quibus rebus per eam aestatem prospere gestis sub hiemem ad consulatum petendum in urbem est profectus.

De omnibus his, quae ex Appiano citaui, nihil habet Plutarchus, qui tantum dicit, *Sull.* 6, bellum aliquando fuisse sociale, quod diu gliscens tandem contra Romam exarserit et bellum paullisper inhibuerit ciuile. Praeterea legimus pauca haece *Mar.* 32: „τὰ γὰρ μαχιμώτατα τῶν „Ἰταλικῶν ἐθνῶν καὶ πολυανθρωπότατα κατὰ τῆς Ῥώμης „συνέζησαν καὶ μικρὸν ἐδέησαν συγχέαι τὴν ἡγεμονίαν, οὐ „μόνον ὅπλοις ἐρρωμένα καὶ σώμασιν, ἀλλὰ καὶ τόλμαις· κρατη- „γῶν καὶ δεινότησι χρησάμενα θαυμαζαῖς καὶ ἀντιπάλοις."

Appianus nos ignorare uoluit, quae Plutarchus *Mar.* 32 et *Sull.* 6 narrat de tropaeo ac de aureo Iugurtha in Capitolio. Silet quoque de matrimoniis Sullae atque de prodigiis.

Apud Plutarchum Sulla magnopere laudatur, Marius admodum uituperatur; e. g. *Sull.* 6: „Μάριος μὲν οὐδὲν „ἀποδεῖξαι μέγα δυνηθεὶς — — Σύλλας δὲ πολλὰ δράσας „ἄξια λόγου δόξαν ἔσχεν ἡγεμόνος μεγάλου."

*Sull.* 7: „Μάριος ὑπὸ δοξομανίας καὶ φιλοτιμίας, ἀγυμνάστων παθῶν, ἀνὴρ τῷ τε σώματι βαρὺς καὶ ταῖς ἔναγχος ἀπειρηκὼς κρατείαις διὰ γῆρας ἐκδήμων καὶ διαποντίων πολέμων ἐφιέμενος."

*Mar.* 33: „οὗτος ὁ (συμμαχικὸς) πόλεμος — — ὅσον

Σύλλᾳ προσέθηκε δόξης καὶ δυνάμεως, τοσοῦτον ἀφεῖλε Μαρίου. βραδὺς γὰρ ἐφάνη ταῖς ἐπιβολαῖς, ὄκνου τε περὶ πάντα καὶ μελλήσεως ὑπόπλεως."

E quibus singulis hoc mihi concludendum uidetur:

1. Ex Appiano bellum Marsicum cognosci potest, e Plutarcho minime, qui neque de causa belli, neque de bello ipso, neque de singulis rebus quidquam hic memoriae prodiderit.

2. Plutarchus magna adficit Marium iniuria obtrectando eius laudibus, facta contra Sullae ad coelum tollendo.

---

§ 2.

**De fontibus Plutarchi et Appiani in hisce rebus enarrandis.**

Sulla et Liuius a Plutarcho auctores adferuntur, ille semel cap. 5 [1]), passim cap. 6 [2]), hic semel cap. 6 [3]).

Contulit tamen Plutarchus haud dubie plures scriptores. Conloquium u. c. Sullae cum Caesare (cap. 5): „στρατηγοῦντος αὐτοῦ (Sulla) καὶ πρὸς Καίσαρα [4]) μετ' ὀργῆς „εἰπόντος, ὡς χρήσεται τῇ ἰδίᾳ πρὸς αὐτὸν ἐξουσίᾳ, γε„λάσας ὁ Καῖσαρ „ὀρθῶς", ἔφη, „τὴν ἀρχὴν ἰδίαν νομίζεις· „ἔχεις γὰρ αὐτὴν πριάμενος" aliunde duxit. Sulla enim, rerum suarum laudator, talia memorauisse nequit.

---

[1]) *Φησὶ γάρ.*

[2]) *Καὶ γὰρ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι γέγραφεν — ἔτι δὲ Λευκόλλῳ μὲν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι παραινεῖ — ἰσορεῖ χάσμα τῆς γῆς μέγα γενέσθαι — τοῦτον δὲ αὐτὸν εἶναί φησιν ὁ Σύλλας.*

[3]) *Ὡς φησιν ὁ Τίτος.*

[4]) Utrum Caesar ille fuerit L. Iulius Caesar L. f. Sex. n. cos. 90, an C. Iulius Caesar C. f. C. n. dictatoris pater nescimus. Mommsen, *C. I. L.* I, p. 439; 536 sq. — Cf. Drumann, III, p. 128 not. 55.

In prodigiis uero recensendis commentarii Plutarcho materiam praebuerunt. Nam, etsi uix credendum est, Sullam talibus rebus fidem tantillam adiunxisse, non tamen miramur, cum, qui tam superstitiose disserit de hiatu terrae ingenti [1]), qui a Plutarcho auctor citatur in miraculis somniisque enarrandis [2]), qui diligenter admonitiones δαιμονίου sui et somnia memorat [3]), hoc quoque loco [4]) earum rerum mentionem fecisse.

Appianum ex egregio fonte hausisse, in promptu est. Veri autem simile duco, eum usum esse Liuio, qui bellum sociale descripsit lib. LXXI—LXXVI. De quo praeterea bello quaedam reperimus apud STRABONEM V, 4. § 2, apud VALERIUM MAXIMUM VIII, 6. 4, apud EUTROPIUM V, 3 [5]), apud AUCTOREM *de uir. ill.* 63; 75, apud OROSIUM V, 18 [6]).

Quorum scriptorum constat Liuianis usos esse historiis Valerium Maximum [7]), Auctorem de uir. ill. [8]), Eutropium [9]), Orosium [10]).

---

1) *Sull.* 6.

2) *Sull.* 17; 27; 37.

3) *Sull.* 6; *Lucull.* 23.

4) Cf. *Sull.* 7.

5) Ed. Droysen, Weidmann 1878 p. 33.

6) Graece etiam Lucullus opus de Marsico Bello composuit, quod tamen non tulit aetas. Cf. Prooem. p. 2. Notitiam eius libri habuit adhuc Plutarchus; cf. PLUT. *Lucull.* 1: „διασώζεται γὰρ Ἑλληνική τις ἱστορία τοῦ Μαρσικοῦ πολέμου." — CIC. *ad Att.* I. 19. 10. — KIEWIET DE JONGE, *de G. Mario* p. 8.

7) KOEHLER, § 2. — ZSCHECH, *de Cicerone et Liuio, Valerii Max. fontt.*, Berol. 1865 p. 35 sqq.

8) KOEHLER, § 7; id. p. 41 dicit, eum etiam usum esse Valerio Maximo et Floro. — NIEB. *Vortr.* ed. Isler I. 58, qui contendit, epitomen Liuianam fontem ei fuisse.

9) KOEHLER, p. 38 sqq.

10) MOERNER, *de Orosii uita eiusque hist. l.* VII., Berol. 1844 p. 49 sqq.; p. 131 sqq. — KOEHLER, § 8.

Conferamus quae in periochis seruata sunt cum Appiano.

App. *B. C.* I. 35.

„Λίουιος Δροῦσος δημαρχῶν δεηθεῖσι τοῖς Ἰταλιώταις νόμον αὖθις εἰσενεγκεῖν περὶ τῆς πολιτείας ὑπέσχετο. ὁ δὲ τὸν δῆμον ἐς τοῦτο προθεραπεύων ὑπήγετο ἀποικίαις πολλαῖς ἔς τε τὴν Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν, ἐψηφισμέναις μὲν ἐκ πολλοῦ, γεγονυίαις δὲ οὔπω. τήν τε βουλὴν καὶ τοὺς ἱππέας, οἳ μάλιστα δὴ τότε ἀλλήλοις διὰ τὰ δικαστήρια διεφέροντο, ἐπικοίνῳ νόμῳ συναγαγεῖν ἐπειρᾶτο."

App. *B. C.* I. 36.

„Οἱ Ἰταλιῶται δὲ ὑπὲρ ὧν δὴ καὶ μάλιστα ὁ Δροῦσος ταῦτα ἐτέχναζε, καὶ οἵδε περὶ τῷ νόμῳ τῆς ἀποικίας ἐδεδοίκεσαν, καὶ πολλὰ καὶ περὶ τῆς ἰδίας ἐνοχλησόμενοι. Τυρρηνοί τε καὶ Ὀμβρικοί, ταὐτὰ δειμαίνοντες τοῖς Ἰταλιώταις, καὶ ὡς ἐδόκει πρὸς τῶν ὑπάτων ἐς τὴν πόλιν ἐπαχθέντες ἔργῳ μὲν ἐς ἀναίρεσιν Δρούσου λόγῳ δὲ ἐς κατηγορίαν, — — τὴν τῆς δοκιμασίας ἡμέραν ἀνέμενον. ὧν ὁ Δροῦσος αἰσθανόμενός τε καὶ — — — — ἔνδον ἐν περιπάτῳ — — — χρηματίζων ἀεὶ, καὶ

Liv. per. LXXI.

„M. Liuius Drusus tribunus plebis, ut maioribus uiribus senatus causam susceptam tueretur, socios et Italicos populos spe ciuitatis Romanae sollicitauit. Eisque adiuuantibus per uim legibus agrariis frumentariisque latis iudiciariam quoque pertulit, ut aequa parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent."

Liv. ibid.

„Cum deinde promissa sociis ciuitas praestari non posset, irati Italici defectionem agitare coeperunt. Eorum coitiones coniurationesque et orationes in conciliis principum referuntur. Propter quae Liuius Drusus inuisus etiam senatui factus, uelut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est [1])."

[1]) Cf. Oros. l.l.

περὶ ἑσπέραν τὸ πλῆθος ἀποπέμπων, ἐξεβόησεν ἄφνω πεπλῆχθαι. καὶ λέγων ἔτι κατέπεσεν."

App. *B. C.* I. 38.

„Ὁ δὲ Σερουΐλιος (paullo ante ut ἀνθύπατος indicatus) — ἐξορμῶν ἐς τὸ Ἄσκλον — ἀνῃρέθη — — οὐδὲ τῶν ἄλλων Ρωμαίων ἦν τις φειδώ."

App. *B. C.* I. 39.

„Ἐκραγείσης δὲ τῆς ἀποστάσεως, ἅπαντα ὅσα τοῖς Ἀσκλαίοις ἔθνη γείτονα ἦν, συνεξέφηνε τὴν παρασκευήν, Μάρσοι τε καὶ Παιλιγνοὶ καὶ Οὐηστῖνοι καὶ Μαρρουκῖνοι καὶ ἐπὶ τούτοις Πικεντῖνοι καὶ Φρεντανοὶ καὶ Ἰρπῖνοι καὶ Πομπηϊανοὶ καὶ Οὐενούσιοι καὶ Ἰάπυγες, Λευκανοί τε καὶ Σαυνῖται."

App. *B. C.* I. 41.

„Οὐέττιος μὲν Κάτων ἐπὶ Αἰσερνίαν ἦλασε ρωμαΐζουσαν. χρόνῳ δὲ καὶ λιμῷ παρεσχήσαντο οἱ πολέμιοι."

Liv. per. LXXII.

„Q. Seruilius proconsul in oppido Asculo cum omnibus ciuibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est."

Liv. ibid.

„Italici populi defecerunt Picentes [1]), Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani initio belli a Picentibus moto."

Liv. ibid. et per. LXXIII.

„Aesernia et Alba coloniae ab Italicis obsessae sunt. Aesernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitum uenit."

---

[1]) Praue epitomator scripsit *Picentes*. Debuerat dicere *Picentini*. Illi, qui iidem atque Asculani Umbrisque finitimi erant, ad Mare Superum spectabant et omnium primi arma ceperant. Hi uero, Campanis finitimi, inferiorem Italiam ad Mare Inferum usque ad Silarum amnem incolentes, nunc accedebant. Utrique a Graecis scriptoribus Πικεντῖνοι adpellabantur. Cellar. *Geogr. ant.*, Ienae 1731, cap. IX. p. 79; 80; 87.

Eodem autem modo pergere possem inter sese comparans App. *B. C.* I. 42; 44; 49; 51 et Liv. per. LXXIII—LXXVI, ubi similiter ab utroque memorantur expugnatio Nolae, res gestae L. Iulii Caesaris, clades et interitus Q. Caepionis, libertini tum primum militantes, Marii et Cornelii Sullae gesta huiusque iter ad consulatum petendum. Uterque tandem hoc bellum *sociale* uocat, nunquam Marsicum [1]) uel Italicum.

Quod adtinet ad scriptores, quos p. 26 citaui, conspirat Valerius Maximus l.l. cum Appiano, tradens Q. Varium, tribunum pleb., aduersus intercessionem conlegarum lege sua sociale bellum excitasse (cf. p. 22). Conuenit Eutropius l.l. cum Appiano de Rutilio occiso, de Marii rebus gestis, de bello a Sulla confecto (cf. p. 23; 24). Breues porro adnotationes Auctor habet *de uir. ill.*, 63 de Q. Pompaedio, Marsorum duce, interfecto, 75 de Samnitibus Hirpinisque a Sulla profligatis. Non nihil tandem reperitur apud Orosium l.l., quod similiter narrat Appianus (cf. p. 22; 27).

---

[1]) Sic a Strabone, V. 4. 2, ed. Kramer., Vol. I. p. 383 uocatur. Ex eodem l.l. discimus, Italiotas pro Roma decreuisse, nouae rei publicae fore caput Corfinium siue mutato nomine Italicam. Caeterum Marsos fuisse gentem pugnacissimam App. I. 46 etiam docet.

# CAPUT III.

## DE SULLA ET MARIO ACTORIBUS IN BELLI CIVILIS PARTE PRIORE, QUAE EST USQUE AD MARII MORTEM.

### § 1.

**Plutarchi et Appiani narrationes inter sese comparantur.**

PLUT. *Sull.* 8. Sulpicius tribunus plebis rogationem fert, qua Mario in bello contra Mithradatem imperium decernitur. Consules iustitium indicunt. Tumultus in foro concitatur. Multi interque hos Pompei consulis filius adulescens interficiuntur. Pompeio ipsi, qui clam effugerat, consulatus abrogatur. Non uero Sullae honorem illum adimit Sulpicius, sed belli tantum contra Mithradatem administrationem ad Marium transfert.

PLUT. *Sull.* 9 et 10. Sulla contra uetitum senatus a Nola, quo profugerat, castra mouet et Romam uersus ducit. Porta et muris apud Esquilinum a L. Basillo et C. Mummio occupatis ipse Sulla superuenit incendioque uiam sibi facit. Dum haec aguntur, Marius, ad fanum Telluris compulsus, seruos sub conditione libertatis aduocat, sed uictus ab hostibus, eo inrumpentibus, urbe excidit. Proinde Sulla senatu conuocato Marium et Sulpicium

cum aliis paucis quibusdam capitis damnat. Marium qui necasset, ei pecuniam praemii loco edicit. Sulpicius, a seruo proditus, interficitur. Ut odia multitudinis mitiget, Cinnam, contrariae factionis hominem, consulem creat, qui in Capitolium adscendit lapidemque manu tenens iurat, ut, nisi beneuolentiam erga Sullam conseruet, sic urbe excidat, quemadmodum manu eius lapis. Tum multis coram testibus lapidem in terram proicit. Consulatu accepto statim nouas res moliri incipit Sullamque uocat in ius, Verginium tribunum plebis accusatorem subornans. Sulla accusatore ac iudicio ualere iusso ad bellum abit Mithradaticum.

Plut. *Mar.* 35 med. — 46. Sulla exercitum Romam ducit. Cui in urbem inrumpenti Marius frustra seruis ad arma uocatis leuiter resistit. Mox pulsus aufugit et ad Ostiam descendit, unde cum Granio, priuigno suo, nauiculam nactus auehitur. Filius eius, Marius iunior, ad mare profugit nauique, quae Africam peteret, conscensa in eam traicit.

Interim senior Marius uento a mari incumbente fluctibusque urgentibus aegre ad litus iuxta Circeios adpellit. Nauseabundus nullo certo consilio uagatur, donec ab itinere digressus in densam siluam se recipit, ubi misere pernoctat. Postridie turma equitum a Minturnis, oppido propinquo, uenit. Simul Marius et Granius prope litus duas onerarias naues conspiciunt. Statim in mare insiliunt et ad naues adnatant. Mario a nautis in alteram imposito equites iam in litore adsunt mandantque nautis, ut aut nauem subducant, aut Marium eiciant. Hi respondent, se Marium non prodituros. Equitibus tum iratis abeuntibus nautae sententia mutata Marium ad ostia Liris fluuii in terram exponunt. Granius interim altera naui adrepta in Aenariam insulam oppositam traicit.

Marius deinde solus et nudus aliquamdiu in litore iacet.

Vix tandem se conligit et per inuia progreditur perque paludes fossasque profundas, donec tugurium conspicit. In eo senex habitabat, qui lacus foderet. Hic Marium supplicem ad paludes abducit atque in cauernam prope fluuium subire iubet. Non ita multo post magnus ad Marium strepitus peruenit. Emissi enim erant multi a Tarracina, qui eum persequerentur. Marius e cauerna prorepit seseque in paludem coenosam inmittit. Quem cum cernunt indagantes nudum coenoque oppletum abripiunt, Minturnas abducunt magistratibusque tradunt.

Quibus, cum toti iam ciuitati mandatum esset, ut Marium persequerentur inuentumque interficerent, placet, confestim Marium esse necandum. Itaque, cum nemo ciuium illud in se recipere uellet facinus, ad eum, quem interea custodiendum tradiderant magistratus in domum Fanniae cuiusdam, eques natione Gallus siue Cimber mittitur. Qui sumpto gladio ad Marium ingressus, mox tamen terrore captus, abiecto gladio se per fores proripit, cum ex oculis uictoris Cimbrorum multas flammas emicare uideret eumque magna uoce exaudiret clamantem: „tune, homo, audes C. Marium necare?" Tum magistratus Minturnenses decreto mutato Marium ad litus educunt eique nauem praebent. Hac uento secundo ad Aenariam insulam defertur, ubi Granium recipit, quocum deinde in Africam peruenit. Ibi filio cum Cethego aliisque amicis saluis receptis paullulum manet.

Interim Sulla in Graeciam profecto ibique contra Mithradatis duces belligerante Romae seditio denuo erat exorta. Quod ut Marius accipit, quamprimum Africa relicta in Italiam nauigat. Ibi res erant inmutatae. Cinna enim non amplius erat consul, sed urbe eiectus ab Octauio conlega per Italiam oberrabat, copias contra Romam conligens. In locum eius suffectus erat Cornelius Merula.

Marius autem adpellit ad Telamonem, Etruriae portum,

in terram egreditur, seruos, colonos, pastores conuocat Cinnaeque se cum copiis his coniungit. Post haec statim ad urbem proficiscuntur Ianiculumque occupant.

Urbe capta multi Sullani necati sunt. Marius, primus omnium hominum septimum consul creatus, tamen non diu porro uixit, nam decimo septimo huius consulatus die mortuus est.

App. *B. C.* I. 55—75. Marius P. Sulpicium tribunum inducit, ut sibi adsit. Hic de nouis ciuibus legem promulgat. Consules ferias indicunt, quas mox rursus tollere coguntur. Sulpicius Sulla Capuam profecto lege Marium imperatorem belli Mithradatici designat. Sulla cognitis quae contra sese Mariani machinabantur milites ad contionem conuocat commemoratisque iniuriis, quibus esset adfectus a Sulpicio Marioque, hortatur, ut ad iussa facienda sint parati. Ii sese bono animo esse confirmant. Quos confestim Romam uersus ducenti Sullae occurrit conlega Pompeius. Legatis a Mario et Sulpicio tanquam senatus nomine missis, qui postularent, ne intra quintum ab urbe lapidem castra metaretur, adnuit quidem Sulla, sed abeuntes eosdem e uestigio sequitur. Mox prima eius generis intra urbis moenia committitur pugna, e qua Sulla uictor euadit. Postero die conuocatur populi contio, in qua Sulla et Pompeius de statu rei publicae conquesti postulant, comitia abhinc non tributa sed centuriata ex Servii Tullii instituto haberi abrogarique quaecunque a Sulpicio acta fuissent post indictum a consulibus iustitium, ut non legitima. Ita populus iussit.

Iam uero hostes rei publicae iudicantur Sulpicius, Marius senior, Marius iunior, P. Cethegus, Iunius Brutus, Cn. et Q. Granii, P. Albinouanus, M. Laetorius, alii numero fere duodecim. Marius autem, ex hominum indagantium manibus elapsus, Minturnas peruenit. Oppidi eius magistratus hominem Gallum ad necandum Marium, in

tenebricosa quadam casula requiescentem, intromittunt. Sed Gallus, splendorem ignis e Marii oculis emicantem cum cernit, terrore statim conripitur. Ut uero Marius exclamat: „tune audes interficere C. Marium?", Gallus pauidus e cubiculo effugit.

Tum magistratus Minturnenses continuo Marium ex oppido dimittunt. Hic primum in tugurio quodam aliquamdiu quiescit. Postea naui piscatoria, quae forte fortuna stabat in litore, conscensa in insulam quandam defertur, unde in Africam traicit. Ad eum tum confugiunt amici Cethegus, Granius, ipsius Marii filius, alii.

Interea domi Q. Pompeius consul necatur non inuito Cn. Pompeio Strabone. Sulla Capuam et inde in Asiam ad bellum cum Pontico rege gerendum proficiscitur. Mox Romae tumultus et seditiones a Cinnanis contra Sullanos concitantur. Marius ex Africa in patriam redit urbemque cum Cinna expugnat. Ab eis, in annum sequentem consulibus creatis, Cinna iterum, Mario septies, multi proscribuntur Sullani. At Marius quidem, multa et acerba contra Sullam in pectore fouens, primo magistratus initi mense diem obit supremum.

Paucis exceptis rerum expositio Appiani magnopere differt a narratione Plutarchi. Quod cernitur et in P. Sulpicii Rufi personae ac morum descriptione, et in narratione errorum Marii bellique Cinnani.

Videamus primum de Sulpicio.

Praeterquam quod de hoc tribuno Plutarchus et Appianus habent, leguntur quaedam apud Ciceronem et apud Velleium. Quorum scriptorum uidentur Velleius minus uere locutus esse, Plutarchus personam Sulpicii in prauum detorsisse, Cicero uero et Appianus benignius iudicasse.

Cic. *de Or.* III. 3. 11. „Sulpicius autem — —, quibus-„cum priuatus coniunctissime uixerat, hos in tribunatu „spoliare instituit omni dignitate. Cui quidem, ad summam

„gloriam eloquentiae efflorescenti, ferro erepta uita est, et „poena temeritatis non sine magno reipublicae malo „constituta."

Id. *de Har. resp.* XX. 43. „Sulpicium ab optima causa „profectum longius, quam uoluit, popularis aura pro„uexit."

Vell. II. 18. „P. Sulpicius tribunus plebis disertus, „acer, opibus, gratia, amicitiis, uigore ingenii atque animi „celeberrimus, cum antea rectissima uoluntate apud po„pulum maxumam quaesisset dignitatem, quasi pigeret „eum uirtutum suarum, et bene consulta ei male cederent, „subito prauus et praeceps C. Mario, post septuagesimum „annum omnia imperia et omnis prouincias concupiscenti, „addixit legemque ad populum tulit, qua Sullae imperium „abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithradati„cum aliasque leges perniciosas et exitiabiles neque tole„randas liberae ciuitati tulit."

Plut. *Sull.* 8 Sulpicium uocat: „ἄνθρωπον οὐδενὸς δεύτερον ἐν ταῖς ἄκραις κακίαις, ὥςε μὴ ζητεῖν, τίνος ἐςὶν ἑτέρου μοχθηρότερος, ἀλλὰ πρὸς τί μοχθηρότατος ἑαυτοῦ." Pergens de eodem habet: „καὶ γὰρ ὠμότης καὶ τόλμα καὶ πλεονεξία περὶ αὐτὸν ἦν ἀπερίσκεπτος αἰσχροῦ καὶ παντὸς κακοῦ." Id. *Mar.* 35 init. dicit: „εὐφυέςατον εὑρόντος ὄργανον Μαρίου πρὸς τὸν κοινὸν ὄλεθρον τὸ Σουλπικίου θράσος, ὃς, διὰ τἆλλα πάντα θαυμάζων καὶ ζηλῶν τὸν Σατορνῖνον, ἀτολμίαν ἐπεκάλει τοῖς πολιτεύμασιν αὐτοῦ καὶ μέλλησιν."

---

P. Sulpicius Rufus, annis decem maior Hortensio [1]), uir erat ingenio uberrimo adfluens, feruidus, in dicendo acer-

---

[1]) Cic. *Brut.* LXXXVIII. 301.

rimus [1]), atque de republica promeritus [2]). Sunt inter has uirtutes, quas etiam Velleius ei fuisse concedit. Si, quod haud negabo, initio optimatibus fauerit, deinde popularibus, hoc non fecit, cum omni ratione careret iudiciumque animi susque deque mutaret, sed postquam etiam atque etiam reputauerat, quid ea tempestate in commodum reipublicae suorumque ciuium esset agendum [3]).

Ciuitas Romana, post Punica bella quieta, moribus dissolutis Graecorum et orientalium populorum cognitis, mox acceptis, hac in re sensim paullatimque modum excedebat. Vitium autem, quod uelut tabes ingruebat gradatim ac Romae medullas adrodebat et exedebat, erat morum corruptela. Ingenua igitur fides antiqua non amplius erat uirtus Romana, sed perfidia et ambitus urbem introierant. Verba Iugurthae apud Sallustium [4]): Romam esse „*urbem „uenalem et mature perituram si emptorem inuenerit*" miserrimum reipublicae statum plane denotant. Haec uero corruptela initium habuit ab optimatibus. Optima-

---

[1]) Cic. *Brut.* XLIX. 182 et 183: „Eisdem fere temporibus aetate „inferiores paullo quam Iulius, sed aequales propemodum fuerunt „C. Cotta, *P. Sulpicius*, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, „L. Fufius, M. Drusus, P. Antistius, nec ulla aetate uberior „oratorum fetus fuit. Ex his Cotta et *Sulpicius* cum meo iudicio, „cum omnium facile *primas* tulerunt."

Id. *Brut.* LV. 203. „Fuit enim *Sulpicius* uel maxime omnium, „quos quidem ego audiuerim, grandis et ut ita dicam tragicus „orator. Vox cum magna, tum suauis et splendida; gestus et „motus corporis ita uenustus, ut tamen ad forum, non ad scenam „institutus uideretur; incitata nec uolubilis, nec ea redundans „tamen nec circumfluens oratio."

[2]) Legatus fuerat Cn. Pompei Strabonis in bello sociali haud laude indignus. Cff. Cic. *Brut.* LXXXIX. 304. — App. *B. C.* I. 47.

[3]) Lau, *Sulla*, p. 187. — Mommsen, *R. G.*, VI. Aufl. 1874., II. p. 250.

[4]) Sall. *Iug.* 35.

tes enim, non populares fuere, qui, praeclarum illud Ennii: „*moribus antiquis res stat Romana uirisque*" obliti, ciuitatem exitio tradiderunt. Iure meritoque dicit Drumannus [1]): „Wie überall entarteten die *Vornehmen* zuerst; „die Selbstsucht bemächtigte sich ihrer, und nur um sie „zu befriedigen, eiferten sie für ihren Stand. *Sie* erkauften „Aemter um in den Provinzen rauben, und raubten, um in „Rom fortschwelgen zu können. Aus *diesen* Beamten „bildete sich der Senat; er nahm das Verderben in Schutz, „weil er sich schuldig fühlte; er sollte den Gesetzen „Ansehn verschaffen, und riss das Richteramt an sich, um „sie unwirksam zu machen; er sollte den Streit der Par-„teien vergleichen und wurde als Ausschuss der Optimaten „selbst Partei; in ihm lernte das Volk Gesetz und Magis-„trate verachten."

Talis erat conditio rei publicae, tales erant optimates. E. g. sola adferam nomina consulis L. Calpurnii Pisonis Bestiae eiusque legati M. Aemilii Scauri, qui, multis donis a Iugurtha corrupti, pacem cum eo fecerunt.

Paucos autem, qui inter eos uirtutes colebant antiquas, falso et iniuste eorum scelerum postulabant ipsorum, quae fecerant ipsi. Cui non ante oculos uersatur nobilis ille P. Rutilius Rufus, uir summae innocentiae et honestatis, qui, in Asia legatus Q. Mucii Scaeuolae, equestri ordini odiosus, quoniam publicanorum iniuriis finem inponere in animo habebat, ab illis ipsis publicanis de repetundis postulatus, immo uero etiam damnatus et in exsilium missus est [2])? Neque silendum est de Q. Metello Numi-

---

[1]) Drumann, II. p. 433.

[2]) Cic. *de Or.* I. 53. 229; *Brut.* XXX, 115. — Liv. per. LXX. — Diod. XXXVII. 5. — Vell. II, 13 (qui Rutilium uirum non saeculi sui, sed omnis aeui optimum iudicat). — Dio, fg. 97, ed. Dindorf, Teubn. 1863, Vol. I. p. 137 sq. — Oros. V. 17.

dico, summae integritatis uiro, item post reditum e propraetura repetundarum accusato [1]).

Haec atque talia ante oculos habentem quis miretur uirum bonum, probum, quem miserebat conditionis patriae, ab optimatibus ad partes transiisse contrarias?

Hoc de Sulpicio uniuerse dictum sit. Iam de rebus singulis, ad personam, uitam, acta tribuni pertinentibus, disputabo.

Dicit Plut. *Sull.* 8: „ἔτρεφε δὲ (Σουλπίκιος) τρισχιλίους „μαχαιροφόρους καὶ πλῆθος ἱππικῶν νεανίσκων, πρὸς ἅπαν „ἑτοίμων, περὶ αὑτὸν εἶχεν, οὓς ἀντισύγκλητον ὠνόμαζεν." Tum de legibus Sulpicii loquens ita pergit paullo post: „ἀπραξίας δὲ διὰ ταῦτα τῶν ὑπάτων ψηφισαμένων, ἐπαγα„γὼν αὐτοῖς ἐκκλησιάζουσι περὶ τὸν νεὼν τῶν Διοσκούρων „ὄχλον, ἄλλους τε πολλοὺς καὶ..... ἀνεῖλεν."

Apud App. *B. C.* I. 56 res toto coelo diuersae a narratione Plutarchi tractantur. Nihil enim habet de illis μαχαιροφόροις, neque de νεανίσκοις πρὸς ἅπαν ἑτοίμοις, neque de contrasenatu loquitur. Loquuntur ambo de iustitio (Plut. ἀπραξίαι; App. ἀργία) et de tumultu in foro, sed Appianus dicit, Sulpicium τοὺς ξασιώτας iussisse, in foro praesto esse, sicis sub ueste accinctos, Plutarchus subito totum illum contrasenatum, quem modo memorauerat, oblitus esse uidetur, et tantum narrat, tribunum turbam (ὄχλον) adduxisse.

Apud Appianum *solus qui interficitur filius est Pompei* consulis, sed demum postquam liberius loquebatur.

Apud Plutarchum legitur: „ἄλλους τε πολλοὺς καὶ „τὸ Πομπηΐου τοῦ ὑπάτου μειράκιον ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς „ἀνεῖλεν (Σουλπίκιος)."

De fuga Pompei patris ambo inter se conueniunt, eisdem prope uerbis utentes:

---

[1]) Cic. *Verr.* act. II. lib. III. cap. xc. § 209 sqq.

| Plut. | App. |
| --- | --- |
| „Αὐτὸς δὲ Πομπήϊος λαθὼν ἐξέφυγεν." | „Πομπήϊος μὲν λαθὼν διέφυγεν." |

Posterior autem Pompei sors ex App. *B. C.* I. 57; 58; 59; 63; 64 est cognoscenda. De loco Plutarchi *Sull.* 8, quamdiu huic nondum est inuenta medela, nihil intellegi potest. Dicit: „τὸν Πομπήϊον ἐπάρχοντα ποιήσας ὁ Σουλπίκιος." Ἐπάρχων significans *consulem* certe non Graecum est, sed fac hoc ita esse, quid igitur sibi uult Plutarchus? *Pompeius, iam consul, iterum consul factus esset a Sulpicio?* [1])

Sunt plura, et quidem grauiora, de quibus Plutarchus ab Appiano dissentit.

Plut. *Mar.* 35 narrat, Sullam tumultu in foro a Sulpicianis concitato, praeter Marii domum fugientem, instantibus inimicis in eam inrupisse et deinde ab ipso Mario per aliam ianuam tuto dimissum ad exercitum peruenisse. Sed addit, Sullam in commentariis dixisse, se non confugisse ad Marium, uerum a turba de foro usque ad Marium compulsum esse tandemque inde in forum rediisse et, quod Sulpiciani postulabant, iustitium sustulisse.

App. *B. C.* I. 56 nihil de hac fuga Sullae cognovit. Haec modo dicit: „Σύλλας δὲ ὡς βουλευσόμενος ὑπεχώρει" et paullo post: „καὶ ὁ Σύλλας ἐπελθὼν ἐβάσασε τὴν „ἀρχίαν."

Quis Plutarcho *Mar.* 35 auctor fuerit, hanc fugam narranti, ignoramus, cum ex obscuro λέγεται nihil sequatur.

*Sull.* 8 manifeste commentariis utitur, nam uerba, quamuis

---

[1]) Coniecit anonymus παύσας pro ποιήσας, sed aliud latere uidetur. Cf. Plut. *Vit. Parall.* ed. Sintenis, Teubn. 1879. Vol. II. adnot. crit. p. XVII.

coarcta (Σύλλας δὲ εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ Μαρίου συνδιωχθεὶς ἠναγκάσθη τὰς ἀπραξίας λῦσαι), conueniunt cum eis, quae ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Sulla a Plutarcho dixisse perhibetur.

App. l.l. dicit ὑπεχώρει et tum ἐπελθών, non tamen indicans, ubi interim Sulla fuerit. Caeterum non praetermittendum est, Appiani genus dicendi quodammodo conuenire cum uerbis Plutarchi, ubi Sullam ipsum citat:

| App. l. l. | Plut. *Mar.* 35. | Plut. *Sull.* 8. |
|---|---|---|
| „Σύλλας δὲ ὡς βουλευσόμενος ὑπεχώρει — καὶ ὁ Σύλλας ἐπελθὼν ἐβάσασε τὴν ἀργίαν." | „Αὐτὸς δὲ Σύλλας ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν οὔ φησι καταφυγεῖν ἀλλ' ἀπαλλαχθῆναι βουλευσόμενος — ἄχρι οὗ προελθὼν — τὰς ἀπραξίας ἔλυσε." | „Σύλλας δὲ ἠναγκάσθη προελθὼν τὰς ἀπραξίας λῦσαι." |

Occurrit apud Plut. *Sull.* 8 inter alias Sulpicii rogationes in primis rogatio de transferendo imperio a Sulla ad Marium.

Apud App. *B. C.* I. 55; 56; 57 uero rogatio alia Sulpicii, „ut noui ciues iure suffragiorum aequarentur uete„ribus et per tribus distribuerentur" causa est iustitii. Quin etiam Appianus dicit, Sullam, cum iustitium iam sustulisset, nihildum cognosse de consilio Marii et Sulpicii, quod ad imperium in bello Mithradatico pertineret. In exercitu demum ad Capuam, traiecturus in Asiam, Sulla conspirationem illam cognouit.

| Plut. l. c. | App. *B. C.* I. 55. |
|---|---|
| „Οὗτος (Σουλπίκιος) νόμους ἔγραφεν ἄλλους τε μοχθηροὺς καὶ τὸν διδόντα Μαρίῳ τοῦ Μιθραδατικοῦ πολέμου τὴν | „Καὶ τοὺς ἐκ τῆς Ἰταλίας νεοπολίτας — ἐπήλπιζεν ἐς τὰς φυλὰς ἁπάσας διαιρήσειν — καὶ νόμον αὐτίκα |

ἡγεμονίαν. ἀπραξίας δὲ διὰ ταῦτα τῶν ὑπάτων ψηφισαμένων κτέ."

ὁ Σουλπίκιος ἐξέφερε περὶ τοῦδε. — — δείσαντες οἱ ὕπατοι περὶ τῇ δοκιμασίᾳ τοῦ νόμου πλησιαζούσῃ προὔγραψαν ἡμερῶν ἀργίας πολλῶν κτέ."

Id. *B. C.* I. 56.

„Καὶ ὁ Σύλλας ἐπελθὼν ἐβάσασε τὴν ἀργίαν, ἔς τε Καπύην ἐπὶ τὸν ἐκεῖ στρατὸν, ὡς ἐκ Καπύης ἐς τὴν Ἀσίαν ἐπὶ τὸν Μιθραδάτου πόλεμον διαβαλῶν, ἠπείγετο· οὐ γάρ πώ τινος τῶν ἐπ' αὐτῷ πραττομένων ἤσθετο."

Quod adtinet ad leges Sulpicii, Plutarchus *Sull.* 8 has solas cognouit: „νόμον δὲ κυρώσας μηδένα συγκλητικὸν „ὑπὲρ δισχιλίας δραχμὰς ὀφείλειν [1])" et „νόμους ἔγραφεν „ἄλλους τε μοχθηροὺς, καὶ τὸν διδόντα Μαρίῳ τὴν ἡγεμο„νίαν." Videamus, utrum illi νόμοι re uera fuerint μοχθηροί.

Sulpicius, amicus Liuii Drusi, pro certo habens, iniquam atque iniustam esse conditionem Italorum, proposita Drusi adripit [2]) et rogationem fert *„de nouis ciuibus libertinisque in tribus distribuendis."* Leges Drusi, perinde atque antea Gracchi, ad illud in primis tetenderant. Nam inter tres rogationes, quas Drusus tulit: *„ut aequa parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent [3])"*, *„de coloniis in Italiam*

[1]) Neque huius legis, neque aeris alieni Sulpicii (*αὐτὸς ἀπέλιπε μετὰ τὴν τελευτὴν ὀφλήματος μυριάδας τριακοσίας*) alius scriptor facit mentionem. Plutarchum haec e commentariis Sullae, infestissimi Sulpicii Mariique inimici, mutuatum esse in promptu est. — Cf. Mommsen *R. G.* II. p. 251.

[2]) Lau, *Sulla*, p. 190. — Mommsen, *R. G.* II. p. 250. — Lange, *R. A.* III. p. 122 f.

[3]) Liv. per. LXX; LXXI.

*et Siciliam deducendis* [1])", „*de ciuitate sociis danda* [2])" duae priores coniunctim non tanti ducebantur, quanti postrema sola. Haec erat lex summa, haec praecipua, qua perlata potestas foret infinita in comitiis penes Italos, ciues optimos, qui soli sustinere possent rei publicae ruinam. Hoc Appianus bene intellexit, Liuius uero male, quippe qui putauerit, rogationes illas potissimum ad iurisdictionem spectasse [3]).

Ut hoc autem nobile propositum efficere posset, ab optimatibus ad populares transfugit Sulpicius et tribunatum petit. Liv. per. LXXVII tres leges ab eo, tribuno facto, promulgatas citat: 1. „*ut exsules reuocarentur*" 2. „*ut noui ciues libertinique in tribus distribuerentur*" 3. „*ut C. Marius aduersus Mithradatem, Ponti regem, dux crearetur.*" Prima rogatio, cuius Appianus non facit mentionem, spectabat ad eos uiros, qui e lege Varia de maiestate postulati in exsilium missi erant [4]). Haec autem neque iniqua, neque perniciosa lex erat [5]), sed ueterem iniuriam reconciliabat, uiros optimos innocentesque in patriam reuocans. De altera, quae Appiano auctore causa iustitii fuit, iam satis uidimus.

*Unum uero hoc addendum est, ex eodem Appiano liquere, hanc et tertiam legem inter se nequaquam fuisse conexas.* Alteram igitur suarum legum promulgans res non respiciebat priuatas, sed uir elati ingenii altiora atque excelsiora spirabat. Tum uero inuisus Sullae et optimatibus factus, intellexit, periclitari uitam suam, nisi a Mario auxilium peteret. Marius se illa in re ei adiutorem fore pollicetur, ea tamen conditione, ut imperium in bello, Sullae ademptum, sibi daretur. „Ὁ δὲ Σουλπίκιος ἐκύρου τὸν νόμον

---

[1]) Plut. *C. Gracch.* 9. — App. *B. C.* I. 23.
[2]) Liv. per. LXXI. — Vell. II. 14. — App. *B. C.* I. 35.
[3]) cf. p. 27.
[4]) cf. p. 22.
[5]) Lau, *Sulla*, p. 189. — Mommsen, *R. G.* II. p. 250.

καὶ οὗ χάριν ἅπαντα ταῦτα ἐγίγνετο, Μάριον εὐθὺς ἐχειροτόνει τοῦ πρὸς Μιθραδάτην πολέμου στρατηγεῖν ἀντὶ Σύλλα [1])."

Haec certe fuerunt, quae Ciceroni uenerint in mentem scribenti: „Sulpicium, ab optima causa profectum, longius quam uoluit popularis aura prouexit [2]).

Iam in caetera inquiramus.

Apud PLUT., *Sull.* 9, Sulla per legatos monte Esquilino occupato urbem ingreditur.

Apud APP. *B. C.* I. 58 Sulla ad occupandam portam Esquilinam [3]) et contiguum ei murum unam mittit legionem. Alia legione portam occupat Collinam Pompeius, tertia pontem Sublicium petit, quarta in statione ante moenia relinquitur. Cum duabus uero reliquis Sulla ipse urbem hostiliter ingreditur.

Omittit Plutarchus quod APP. l.l. narrat, Sullam nempe in ea pugna non solum conrepto signo inter primores prouolasse, cum milites eius iam ad fugam inclinarent, sed etiam aliam recentem aduocasse manum e castris simulque aliam per Suburanam uiam deflectere iussisse, ut aduersarios circumuentos a tergo adgrederetur.

Apud PLUT., *Sull.* 10, Sulla *senatum* conuocat, apud APP. *B. C.* I. 59 Sulla et Pompeius *comitia* conuocant. Apud PLUT. l.l. Sulla Marium et paucos alios, in quibus Sulpicium, *capitis condemnat.* Apud APP. *B. C.* I. 60 Sulpicius et cum eo Marius et alii, quorum maxima pars nominatim adferuntur, *hostes rei publicae iudicantur.* Apud PLUT. l.l. Sulpicius a *seruo* proditus interficitur, ap. APP. l.l.

---

[1]) APP. *B. C.* I. 56 extr.

[2]) CIC. *de Har. resp.* XX. 43.

[3]) APP. *B. C.* I. 58: *τὰς Αἰσχυλείας πύλας.* Est lectio Schweighaeuseri, quam secutus est LUD. MENDELSSOHN, *App.* Teubn. 1881, Vol. II. p. 621. In Codd. legitur *Κλοιλίας, Κοιλίας, Κοιλλίας.* Cf. SCHWEIGH. ad h. l *App.* III. p. 708 sq.

Sulpicius ab *hominibus, qui in eum incidissent*, deprehenditur et occiditur, ap. PLUT. l.l. Sulla pecuniam praemii loco ei pollicetur, qui Marium necaret, cuius rei ap. APP. l.l. non mentio fit.

Quae PLUT. l.l. de Cinna habet APP. l.l. silentio praeterit [1]).

In tradendis Marii erroribus atque in seditionibus, Romae a Cinna concitatis, describendis est ubi inter se pugnent, est ubi res similiter narrent. Apud APP. *B. C.* I. 61 Marius mox, postquam Roma aufugit, peruenit Minturnas, apud PLUT. *Mar.* 35—37 primum descendit ad Ostiam, dein ad litus prope Circeios adpellit, tum demum, uariis confectus calamitatibus, uiris Minturnensibus traditur.

APP. l.l. dicit, Marium fuisse ἔρημον ὑπηρέτου τε καὶ θεράποντος. PLUT. *Mar.* 35 contra habet: „Γράνιον ἔχων μεθ' αὑτοῦ τὸν πρόγονον ἐξέπλευσεν [2])."

Sunt et alia, in quibus discrepantia quaedam animaduertitur.

Plutarchus quoque fusior est et adcuratior Appiano, quod tamen non mirandum, cum ille uitam unius describat uiri, hic contra bella ciuilia, in quibus memorandis magis spectat res Romanas uniuersas, quam sortem singulorum hominum. Sic quae APP. I. 59 habet de Sullanis decretis a Plutarcho omittuntur.

Tandem adferam locos, in quibus similia tradunt. Exponuntur tamen saepius eaedem res aut inuerso ordine, aut in singulis diuersae.

Apud utrumque Marius est in domo quadam tenebricosa, cum ad eum homicida adrepit (PLUT. *Mar.* 39; APP. *B. C.* I. 61).

---

[1]) APP. I 64 demum dicit, Cinnam Sullae fuisse successorem (*Κίννᾳ τῷ μετὰ Σύλλαν ὑπατεύοντι*).

[2]) Granius ille secundum Appianum l.l. iam antea cum aliis, inter quos Marius filius erat, Roma aufugerat.

Uterque narrat antiqua uaticinia, sed apud Plutarchum senex Marius, per litus uagans, eorum meminit eisque confidit, apud Appianum magistratus Minturnenses relligio quaedam et ominis subit memoria.

Plut. *Mar.* 36.

„(Μάριος) ἐχώρει παρὰ τὸν αἰγιαλόν, ἐπιθαρσύνων τοὺς ἑπομένους — — μαντεύμασι παλαιοῖς πιςεύων. νέος γὰρ ὢν ἔτι παντελῶς καὶ διατρίβων κατ' ἀγρὸν ὑποδέξασθαι τῷ ἱματίῳ καταφερομένην ἀετοῦ νεοττιὰν, ἑπτὰ νεοττοὺς ἔχουσαν· ἰδόντας δὲ τοὺς γονεῖς καὶ θαυμάσαντας διαπυνθάνεσθαι τῶν μάντεων· τοὺς δὲ εἰπεῖν, ὡς ἐπιφανέςατος ἀνθρώπων ἔσοιτο καὶ τὴν μεγίςην ἡγεμονίαν καὶ ἀρχὴν ἑπτάκις αὐτὸν λαβεῖν ἀναγκαῖον εἴη."

App. *B. C.* I. 61.

„Τοῖς ἄρχουσιν —— ἐνέπιπτέ τι δαιμόνιον δέος καὶ μνήμη τῆς ἐκ παιδὸς ἐπιφημισθείσης τῷ ἀνδρὶ ἑβδόμης ὑπατείας. παιδὶ γὰρ ὄντι φασὶν ἐς τὸν κόλπον ἀετοῦ νεοττοὺς ἑπτὰ καταρρυῆναι, καὶ τοὺς μάντεις εἰπεῖν, ὅτι ἑπτάκις ἐπὶ τῆς μεγίςης ἀρχῆς ἔσοιτο."

Insidias magistratuum Minturnensium prope similiter memorant (Plut. *Mar.* 39; App. *B. C.* I. 61).

Consensus tandem maximus inter ambos scriptores in eis locis cernitur, ubi Cinna inducitur, in sella curuli sedens legatisque responsa reddens Mario adstante:

Plut. *Mar.* 43.

„Κίννας μὲν οὖν ὡς ὕπατος ἐπὶ τοῦ δίφρου καθήμενος ἐχρημάτιζε καὶ φιλανθρώπους ἀποκρίσεις ἔδωκε τοῖς πρέσβεσι, Μάριος δὲ τῷ δίφρῳ παρειςήκει φθεγγό-

App. *B. C.* I. 70.

„Ὁ μὲν δὴ (Κίννας) ταῦτ' ἐπὶ βήματος ὑψηλοῦ, καθάπερ ὕπατος, τοῖς πρέσβεσιν ἄνωθεν ἀπεκρίνατο· Μάριος δ' αὐτῷ παρεςὼς παρὰ τὸν θρόνον ἡσύχαζε μὲν,

μενος μὲν οὐδὲν, ὑποδηλῶν δὲ ἀεὶ τῇ βαρύτητι τοῦ προσώπου καὶ τῇ συγνότητι τοῦ βλέμματος ὡς εὐθὺς ἐμπλήσων φόνων τὴν πόλιν." ἐὐήλου δὲ τῇ ὀριμύτητι τοῦ προσώπου πόσον ἐργάσεται φόνον."

In Marii morte narranda perquam breuis Appianus est, haec tantum habens: in annum sequentem coss. creati sunt Cinna II et Marius VII, cui post exsilium atque proscriptionem tamen praesagium illud septem aquilinorum pullorum haud inritum fuit. At hic quidem, multa et acerba contra Sullam in pectore fouens, primo magistratus initi mense diem obiit supremum.

Multus contra Plutarchus est in enarrando, quomodo Marius, laboribus curisque oppressus, mentem nouo bello recentibusque certaminibus ad tantas cogitationes trepidantem (nuntiatum enim erat, Sullam confecto bello Mithradatico Italiam uersus nauigare) erigere non ualuerit, quique hisce fractus cogitationibus longosque suos errores, fugas et pericula, terra marique perlata, ante oculos sibi fingens, in anxietates inciderit graues inque nocturnos terrores et turbulenta somnia, semper aliquem audire putans, qui diceret: „δειναὶ γὰρ κοῖται καὶ ἀποιχομένοιο λέοντος." Quomodo porro, insomnium metuens, potationibus se dedens ebrietati indulserit, somnum uelut sollicitudinum effugium adliciens.

Duos tandem Plutarchus citat scriptores, Posidonium philosophum et C. Pisonem, quorum ille Marium partim futurorum metu, partim praesentium fastidio in morbum laterum incidisse ei auctor est, hic uero Marium a coena inter amicos deambulantem de rebus suis disseruisse addidisseque tandem, non esse sani hominis fortunae se cre-

dere, tum decubuisse septem continuis diebus et ita animam efflasse [1]).

In die, quo Marius mortuus sit, notando haud inter se conspirantes antiquos deprehendimus scriptores. Liuius [2]) enim et Florus [3]) tradunt, Marium obiisse Idibus Ianuariis, Plutarchus [4]) scribit, eum die decimo septimo consulatus septimi excessisse. Velleius [5]) autem, Appianus [6]) et Orosius [7]) mensem modo primum initi magistratus memorant [8]). Diodorus [9]) prodens, Marium sibi ipsum mortem consciuisse uoluntariam, manifesto in errore uersatur.

---

§ 2.

**Quaeritur, unde Plutarchus et Appianus sua de factis Sullae et Marii in prioribus belli ciuilis usque ad Marii excessum annis hauserint.**

I. Plut. *Sull.* 8—10 = App. *B. C.* I. 55—60; 63.
II. Plut. *Mar.* 35—40 = App. *B. C.* I. 61, 62.
III. Plut. *Mar.* 41—46 = App. *B. C.* I. 64—75.

---

[1]) Plut. *Mar.* 45: „εἰς νόσον κατηνέχθη πλευρῖτιν, ὡς ἱστορεῖ Ποσειδώνιος ὁ φιλόσοφος, αὐτὸς εἰσελθεῖν καὶ διαλεχθῆναι περὶ ὧν ἐπρέσβευεν ἤδη νοσοῦντι φάσκων αὐτῷ. Γάιος δέ τις Πείσων, ἀνὴρ ἱστορικός, ἱστορεῖ τὸν Μάριον ἀπὸ δείπνου περιπατοῦντα κτέ." — De duobus hisce scriptoribus uid. infra (p. 54 sqq.).

[2]) Liv. per. LXXX.

[3]) Flor. II. 9. 17.

[4]) Plut. *Mar.* 46.

[5]) Vell. II. 23.

[6]) App. *B. C.* I. 75.

[7]) Oros. V. 19.

[8]) Vid. de hac quaestione L. J. W. Smit, *Obseruationes in Plutarchi uitam C. Marii*, Siluae Ducis 1878, p. 149 sqq.

[9]) Diod., ed. Mueller, Paris. Didot 1842, tom. II, p. 614: „μετέξησεν ἑαυτὸν ἐκ τοῦ ζῆν ἑκουσίως."

I. Plutarchus transscripsit Sullae commentarios, excepto fortasse uno loco cap. 10, ubi congruit cum Liuio de caede Sulpicii.

Iam conferamus Appianum cum Liuio:

App. *B. C.* I. 55.

„Καὶ τοὺς ἐκ τῆς Ἰταλίας νεοπολίτας — ἐπήλπιζεν ἐς τὰς φυλὰς ἁπάσας διαιρήσειν — καὶ νόμον αὐτίκα ὁ Σουλπίκιος ἐξέφερε περὶ τοῦδε."

Liv. per. LXXVII.

„(Ut) noui ciues libertinique in tribus distribuerentur."

App. *B. C.* I. 56.

„ὁ δὲ Σουλπίκιος — ἐκύρου τὸν νόμον, καὶ οὗ χάριν ἅπαντα ταῦτα ἐγίγνετο, Μάριον εὐθὺς ἐχειροτόνει τοῦ πρὸς Μιθραδάτην πολέμου στρατηγεῖν ἀντὶ Σύλλα."

Liv. ibid.

„et ut C. Marius aduersus Mithradatem, Ponti regem, dux crearetur."

Legem autem de reuocandis exsulibus omittens alias a Sulpicio promulgatas leges eodem, quo Liuius, ordine Appianus citat.

Solus ab utroque (App. l.l.; Liv. l.l.) interfectus memoratur filius Pompei consulis.

Appianus cum Liuio conuenit de senatus decreto (App. *B. C.* I. 60; Liv. l.l.).

Denuo idem narrant (App. *B. C.* I. 63; Liv. l.l.), nam ex utroque liquet, caedem Pompei non inuito Cn. Pompeio esse patratam.

Differt tamen alter ab altero in caede Sulpicii tradenda (App. *B. C.* I. 60 extr.; Liv. l.l.). Est hoc unum discrimen, quod inter eos intercedit. Contra Plutarchus h. l. eadem ac Liuius prodit.

II. Liv. per. LXXVII haec habet: „C. Marius filius in Africam traiecit. C. Marius pater, cum in paludibus Min-

turnensium lateret, extractus est ab oppidanis. Et cum missus ad occidendum eum seruus, natione Gallus, maiestate tanti uiri perterritus, recessisset, inpositus publice in nauim delatus est in Africam."

Marium iuniorem in Africam traiecisse totidem uerbis Plutarchus etiam dicit. Appianus I, 60 eum inter uiros duodecim numerat, qui hostes rei publicae iudicati Roma aufugerant. Id. I, 62 extr. dicit, eosdem ad Marium patrem uenisse ab Hiempsale: οἳ ἐς μὲν Ἰεμψάλαν, τὸν Νομάδων δυνάστην, ἀπὸ Ῥώμης διέφυγον. Itaque reuera idem narrat. Quod periocha habet, Marium patrem extractum esse e paludibus ab oppidanis Minturnensibus, non adcurate narrationi Plutarchi respondet, quippe qui dicat, hoc factum esse ab eis, qui a Tarracina missi essent.

Appianus et Liuius similiter dicunt, hominem natione Gallum ad Marium necandum esse missum; uerum ille addit, eum apud Minturnenses commorari, hic eum seruum fuisse facit.

Plutarchus nescit, utrum homo ille Gallus, an Cimber fuerit. Plane uero dicit, eum non esse missum, sed, cum nemo ciuium facinus patrare auderet, ultro gladio conrepto exiisse. Secundum eundem eques erat.

Tandem quaedam discrepantia obseruatur quod adtinet ad nauim, qua Marius auectus sit. Namque Liuius dicit, eum publice in eam esse inpositum. Plutarchus narrat, nauim ei esse praebitam a uiro Minturnensi, cui nomen esset Belaeo. Appianus eum forte fortuna nauim piscatoriam inuenisse tradit.

Mihi autem quae in periocha Liuiana, quae apud Plutarchum, quae apud Appianum de erroribus Marii leguntur redire uidentur ad unum fontem, ad Liuium.

Ad quam sententiam, quatenus ad Plutarchum pertinet, eo magis adducor conlatis duobus locis Plutarcheis cum Valerio Maximo.

Plut. *Mar.* 38.

„Σημεῖον αὐτῷ γεγονέναι χρηστόν (ἔφασκε). ἦν δὲ τοιοῦτον. ὡς ἀγόμενος πρὸς τῇ οἰκίᾳ τῆς Φαννίας ἐγεγόνει, τῶν θυρῶν ἀνοιχθεισῶν ὄνος ἔνδοθεν ἐχώρει δρόμῳ πιόμενος ἀπὸ κρήνης ἐγγὺς ἀπορρεούσης. προσβλέψας δὲ τῷ Μαρίῳ λαμυρόν τι καὶ γεγηθὸς ἔσχη πρῶτον ἐναντίον, εἶτα φωνὴν ἀφῆκε λαμπρὰν καὶ παρεσκίρτησε παρ' αὐτὸν ὑπὸ γαυρότητος. ἐξ οὗ συμβαλὼν ὁ Μάριος ἔφασκεν, ὡς διὰ θαλάσσης αὐτῷ μᾶλλον ἢ διὰ γῆς ὑποδείκνυσι σωτηρίαν τὸ δαιμόνιον."

Val. Max. I. 5. Rom. 5.

„G. autem Mario obseruatio ominis procul dubio saluti fuit, quo tempore hostis a senatu iudicatus in domum Fanniae Minturnis custodiae causa deductus est. Animaduertit enim asellum, cum ei pabulum obiceretur, neglecto eo ad aquam procurrentem. Quo spectaculo deorum prouidentia quod sequeretur oblatum ratus, alioquin etiam interpretandarum relligionum peritissimus, a multitudine, quae ad opem illi ferendam confluxerat, impetrauit, ut ad mare perduceretur, ac protinus nauiculam conscendit eaque in Africam peruectus arma Sullae uictricia effugit."

Parte autem extrema excepta locus Valerii Maximi omen diserte eodem, quo Plutarchus, modo memorat.

Plut. *Mar.* 39.

„Ἱππεὺς δὲ Γαλάτης τὸ γένος ἢ Κίμβρος λαβὼν ξίφος ἐπεισῆλθεν αὐτῷ. — λέγεται τὰ μὲν ὄμματα τοῦ Μαρίου φλόγα πολλὴν ἐκβάλλοντα τῷ στρατιώτῃ φανῆναι. — ἐξῆλθεν οὖν εὐθὺς φυγῇ καὶ τὸ ξίφος ἐν μέσῳ καταβαλὼν ἐχώρει διὰ θυρῶν."

Val. Max. II. 10. Rom. 6.

„Seruus publicus natione Cimber senem, strictum gladium tenens, adgredi non sustinuit, sed claritate uiri occaecatus, abiecto ferro adtonitus inde ac tremens fugit."

III. Cum Liv. per. LXXIX Plut. *Mar.* 41—46 et App. *B. C.* I, 64—75 conferentes, iam statim uidemus, Plutarchum

cum Liuio consentire de Cinna, urbe pulso. Habet enim PLUT. *Mar.* 41 init.: „Ὀκτάουιος μὲν κρατήσας ἐξέβαλε Κίνναν ἐπιχειροῦντα τυραννικώτερον ἄρχειν."

APP. *B. C.* I. 65 modo dicit: ἐξέδραμεν (Κίννας) ἐς τὰς ἀγχοῦ πόλεις."

De duobus fratribus, altero e Pompei, altero e Cinnae exercitu, qui ignorantes concurrissent (per. l.l.), Plutarchus et Appianus silent. Apud Liuium tantum legimus, C. Marium ex Africa esse arcessitum a Cinna, et paullo post: „Cinna et Marius quattuor exercitibus, ex quibus duo Q. Sertorio et Carboni dati sunt, urbem circumsederunt." Epitomator igitur singula omisit, quae apud Plutarchum *Mar.* 41 et Appianum *B. C.* I. 67 seruata sunt (cf. p. 32 sqq.).

Plutarchus non loquitur de Carbone, nec de Sertorio: ignorat igitur, copias in quattuor diuisas esse exercitus. Quam rem Appianus *B. C.* I. 67 quidem memorans tamen certior factus esse uidetur non de quattuor, sed de tribus exercitibus, cum dicat: „ἐς τρία διαιρεθέντες, Κίννας μὲν καὶ Κάρβων σὺν αὐτῷ τῆς πόλεως ἀντικρύ, Σερτώριος δὲ ὑπὲρ τὴν πόλιν ἄνω, καὶ Μάριος πρὸς τῇ θαλάσσῃ [1])."

De Ostia, a Mario expugnata, inter se congruunt: PLUT. *Mar.* 42; APP. *B. C.* I. 67; LIV. per. LXXIX extr.

De Samnitibus nihil dicit Plutarchus Appiano hac in re cum Liuio conspirante (APP. *B. C.* I. 68; LIV. per. LXXX).

Ianiculum a Marianis occupatum esse similiter tres illi scriptores memorant. Attamen addendum est, Plutarchum illud factum quaeque deinde facta sint confusius narrare, Appianum tradere, portam Ianiculensem esse apertam Mario ab Appio Claudio tribuno militum, Ianiculi custode,

---

[1]) FLORUS, II, 9, 13 cum Liuio habet: „mox in urbem *quadruplici* agmine intratur; diuisere copias Cinna, Marius, Carbo, Sertorius."

quem Marius commonefecisset beneficii, a se quondam accepti, atque ita Marium in urbem esse receptum simulque Cinnam intromissum. Epitomator Liuii tantum scribit: „Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio Ianiculum occupauerunt." Quos tum continuo recessisse, cum Liuio Appianus *B. C.* I, 68, extr. consentiens prodit: „ἀλλ' οὗτοι μὲν αὐτίκα ἐξεώσθησαν, Ὀκταουίου καὶ Πομπηίου σφίσιν ἐπιδραμόντων." A Plutarcho res toto coelo aliter exponitur.

Rursus eadem habent Appianus et Liuius:

| App. *B. C.* I. 69. | Liv. per. LXXX. |
|---|---|
| „ἄφνω δὲ εἶλε μὲν Ἄντιον καὶ Ἀρικίαν καὶ Λανούουιον." | „Marius Antium et Ariciam et Lanuuium colonias deuastauit." |

Quod dein Liuius l.l. tradit, milites corruptos pugnare noluisse, aut in diuersas partes transiisse, hoc Appianus l.l. etiam dicit. Plutarcho eadem res ob oculos uersari uidetur scribenti *Mar.* 42: „ἐπεὶ δὲ Μέτελλος ἦκεν εἰς Ῥώμην καὶ πολὺ τοῦ Ὀκταουίου στρατηγικώτερος ἐφαίνετο, καταλιπόντες οἱ στρατιῶται τὸν Ὀκτάουιον ἦκον ὡς ἐκεῖνον. — — ἀγανακτήσαντος δὲ τοῦ Μετέλλου καὶ κελεύοντος ἀπιέναι πρὸς τὸν ὕπατον, ὤχοντο πρὸς τοὺς πολεμίους."

In periocha uero Liuiana nihil legitur quod adtinet ad haruspices et hariolos et Chaldaeos, qui Octauium in urbe retinuissent, cuius rei mentio fit et apud Plutarchum, et apud Appianum:

Plut. *Mar.* 42: „Ὀκτάουιον δὲ Χαλδαῖοι καὶ θῦταί τινες καὶ σιβυλλιςαὶ πείσαντες ἐν Ῥώμῃ κατέσχον."

App. *B. C.* I. 71: „Ὀκταουίῳ δὲ Κίννας μὲν καὶ Μάριος ὅρκους ἐπεπόμφεσαν, καὶ θύται καὶ μάντεις οὐδὲν πείσεσθαι προύλεγον, οἱ δὲ φίλοι φυγεῖν παρήνουν."

Sed definite Plutarchus dicit, Octauium interfectum esse, priusquam Marius urbem intrasset:

PLUT. l.l. „Οὗτος μὲν οὖν, πρὶν εἰσελθεῖν τὸν Μάριον, ὑπὸ τῶν προπεμφθέντων ἐσφάττετο."

Contra ab Appiano *B. C.* I, 70 et 71 et a Liuio l.l. res inuerso ordine narratur.

Inter eos, qui iussu Marii et Cinnae necati sint, PLUTARCHUS recenset *Octauium* (42), *Ancharium* (43), *M. Antonium* oratorem (44), *Sex. Licinium* (45).

Enumerat APPIANUS *Octauium* (I. 71), *C.* et *L. Iulium*, *Atilium Serranum*, *P. Lentulum*, *C. Numitorium*, *M. Baebium*, *Crassos*, patrem et filium (hic tamen a patre prius occisus est, cum ille iam in eo esset, ut deprehenderetur), *M. Antonium* oratorem (I. 72), *Q. Ancharium* (I. 73).

LIVIUS prodit nomina *Octauii*, *M. Antonii*, eloquentissimi uiri, *C.* et *L. Caesaris*, *Crassi* filii, *Sex. Licinii*.

Apud FLORUM II. 9, 14—17 recensentur: *Octauius*, *Antonius*, *Caesares*, *Crassi*, pater et filius, *Baebius*, *Numitorius*, *Ancharius*.

In modo, quo nonnulli horum interempti sint, describendo Plutarchus et Appianus inter sese conueniunt.

Sic e. g. similiter caedes Antonii ab eis narratur. Ad domum eius oratoris milites missi erant, quos tamen ita ille mulcebat oratione, ut milites illum occidere non auderent: „τοιαύτη δέ τις ἦν," dicit PLUT. 44, „ὡς ἔοικε, τοῦ ἀνδρὸς ἡ τῶν λόγων σειρὴν καὶ χάρις, ὥςε ἀρξαμένου λέγειν καὶ παραιτεῖσθαι τὸν θάνατον ἅψασθαι μὲν οὐδεὶς ἐτόλμησεν οὐδὲ ἀντιβλέψαι, κάτω δὲ κύψαντες ἐδάκρυον ἅπαντες. διατριβῆς δὲ γενομένης ἀναβὰς ὁ Ἄννιος (erat tribunus horum militum) ὁρᾷ τὸν μὲν Ἀντώνιον διαλεγόμενον, τοὺς δὲ ςρατιώτας ἐκπεπληγμένους καὶ κατακεκηλεμένους ὑπ' αὐτοῦ· κακίσας οὖν ἐκείνους καὶ προςδραμὼν αὐτὸς ἀποτέμνει τὴν κεφαλήν."

APP. I. 72 hanc necem ita pingit: „οὓς (τοὺς ςρατιώτας)

ὁ Ἀντώνιος ἡδὺς ὢν εἰπεῖν κατεκήλει λόγοις μακροῖς, οἰκτιζόμενός τε καὶ πολλὰ καὶ ποικίλα διεξιών, ἕως ὁ χιλίαρχος ἀπορῶν ἐπὶ τῷ γιγνομένῳ αὐτὸς ἀνέδραμεν ἐς τὸ οἴκημα, καὶ τοὺς στρατιώτας εὑρὼν ἀκροωμένους ἔκτεινε τὸν Ἀντώνιον ῥητορεύοντα ἔτι, καὶ τὴν κεφαλὴν ἔπεμψε τῷ Μαρίῳ."

Congruenter porro narratur ab eis (PLUT. 43 extr.; APP. I. 73 init.), quo pacto *Cornutus* seruorum astu sit seruatus, et quo modo *Lutatius Catulus* fumo sese subfocauerit (PLUT. 44; APP. I. 74). De *Catulo* habet FLORUS l.l.: „Catulus se ignis haustu ludibrio hostium exemit."

De *Merula*, flamine Diali, eadem tradunt Appianus I, 74, et Florus l.l.

Confuse tandem apud App. I. 72 et apud Liu. per. LXXX legitur, quo modo caedes Crassorum patrata sit.

Florus l.l. solum dicit: „Crassi pater et filius in mutuo alter alterius adspectu (trucidantur)."

Quod adtinet ad mortem Marii, eam epitomator Liuii breuissime tractat. Quo autem pacto eam Plutarchus et Appianus descripserint, iam satis uidimus supra (p. 46 sq).

De fontibus Plutarchi et Appiani haec suspicor. Liuium secuti esse uidentur PLUT. *Mar.* 41—43, APP. *B. C.* I, 64—71. Deinde uero alio usi sunt auctore, et quidem scriptore non Latino. Conuenientia non tantum animaduertitur in ipsis rebus, sed adumbratio, sermo, stilus utriusque scriptoris fere idem est [1]). Haud igitur est dubitandum, quin ex Graeco sua hauserint fonte [2]). Graecus ille auctor is fuisse uidetur, quem ipse Plutarchus citat *Mar.* 45, nempe *Posidonius Rhodius* siue *Apamensis* [3]).

---

[1]) Cf. H. PETER, *die Quellen Plut.*, p. 103.

[2]) VOLLGRAFF, *Greek Writers of Roman History* p. 49.

[3]) I. BAKE, *Posidonii Rhodii relliq. doctr.*, L. B. 1810, p. 173:

Praeterea Plutarchus l.l. *C. Pisonem* quendam uocat, cui epitheton „ἀνὴρ ἱστορικός" donat [1]).

---

„de C. Marii ultima uitae parte haud scio an locupletissimus testis Posidonius habendus sit, quippe qui ipse praesens ei tum adfuerit."

[1]) Etsi nusquam alias in uniuersa antiquitate de C. Pisone, scriptore historico, mentio fit, conicio, Plutarchum cogitasse de C. Pisone, qui consul fuit 67 (Dio, XXXVI. 14, 24, 37, 38, ed. Dindorf 1863, Vol. I. p. 166, 172, 182, 183. — Plut. *Pomp.* 25; 27. — Val. Max III. 8. Rom. 3. — Cic. II. *Phil.* c. V. § 12.) quique a Cic. *p. Flacc.* c. XXXIX. § 98 „consul fortis constansque," a Cic. *Brut.* c. LXVIII. § 239 „statarius et sermonis plenus orator" adpellatur. Haud enim ueri simile est, Plutarchum L. Pisonem Frugi cos. 133, annalium scriptorem, unicuique notum, in animo habuisse quemque ipse citat *Num.* 21. Quanquam ignoramus, quo anno hic de uita migrarit, procul dubio in annalibus suis, quos quidem ab urbe condita usque ad sua ipsius tempora continuauerit, bellum non tetigerit Marianum. Nam pro certo habendum est, Pisonem ante Marium mortuum esse. Hic L. Piso Frugi cognominatur Censorius (cff. Dionys. *Antiq.* II. c. 38; c. 40, ed. Reiske, Lips. 1774, Vol. I. p. 317; 320. — Plin. *N. H.* XIII. 27. — Censorin. *de d. n.* XVII, ed. Havercamp. L. B. 1734, p. 87.), sed annum eius censurae ignoramus. Qui igitur pro ἀνὴρ ἱστορικός cum Stephano legunt ἀνὴρ τιμητικός (cf. Plut. *Vit. parall.*, ed. Sintenis, Teubn. 1879, Vol. II. adn. crit. p. XVI) C. illi Pisoni Plutarcheo idem quod L. Pisoni Frugi cognomen tribuunt. Secundum Augustin. *Calp.* N°. 7 C. Piso cos. 67 filius uel nepos erat L. Pisonis Frugi. Quod si uerum esset, lectio Stephani fortasse emendatio posset haberi ab eis, qui mecum C. Pisonem Plutarchi eundem ac C. Pisonem consulem 67 fuisse arbitrarentur. At opinioni Augustini hoc obstat: C. Pisoni cos. 67 a scriptoribus nunquam cognomentum Frugi adtribuitur (Drumann, II. p. 92 not. 23). Quod uero me ad coniecturam, C. Pisonem, a Plutarcho laudatum, eundem fuisse ac C. Pisonem cos. 67, adduxit hoc est: uideo consensum inter uerba Plutarchi: Γάιος δέ τις Πείσων et ea, quae de consule 67 traduntur. Ignota enim est huius origo uel stirps, nec quidquam huic sane commercii erat cum familia Frugi. Fac, illum eundem fuisse atque

hunc, qui a Cicerone *orator* uocatur, mirandum profecto est, neque a Cicerone, neque ab alio scriptore eorum, quae in historia hic tentauerit, mentionem fieri. Volo igitur legere *PHTOPIKOC* pro *ICTOPIKOC*. Manus autem scriptoris librarii, qui iam sequens legerat uocabulum ἱστορεῖ, aberrauit scribendo ἱστορικός pro ῥητορικός. Aliquid tamen ἱστόρησεν ille rhetor, ut e Plutarcho patet. — H. PETER, *rell.* I. p. CCCLXVIII; p. 320. — KIEWIET DE JONGE p. 8 not. — De Pisonibus cf. DRUMANN, II. p. 59 sqq.

# CAPUT IV.

## DE SULLA IN PRIMO BELLO MITHRADATICO ROMANORUM DUCE.

### § 1.

**Quae Plut. Sull. 11—26 et App. Mithr. 22—63 huc pertinentia referunt breui in conspectu ponuntur.**

PLUT. *Sull.* 11—26. Conspectus ciuitatium et populorum a Mithradate ante 87 subiectorum (11).

Obsessio et expugnatio Athenarum (12—14).

Sulla ex Attica in Boeotiam proficiscitur. Hortensius cum exercitu e Thessalia in Graeciam uenit. Eum Caphis „popularis noster," ut Plutarchus dicit, alio itinere per Parnasum in Boeotiam deducit. Tum Hortensius copias suas Sullae adiungit (15).

Archelaus exercitum suum in planitiem ducit, quae diffunditur ad radices collis Philoboeoti, quem Sulla occupauit. Copias in acie constituit Archelaus, quo facto Romanis incutit timorem tum ingenti multitudine militum, tum magnificentia ac splendore militaris adparatus, tum praesertim clamore et strepitu, quem uix sustinebat aer. Perturbationem uero, quae διὰ πολυαρχίαν mox in magno eo exercitu sub adspectum uenit, Sulla in commodum

suum uertit occupanda Parapotamiorum pristina arce. Reppulit inde Archelaum, qui tum aduersus Chaeroneam se conuertit, quo statim Sulla mittit unam legionem duce Gabinio uel Ericio (16).

Proelia apud Chaeroneam et Orchomenum (17—21).

Sulla Deli pacis conditiones Archelao dicit (22).

Rex Mithradates, primo haesitans, tandem conditiones Sullae accipit. Immo amicitiam cum eo inire uult (23).

Sulla et Mithradates Dardani conueniunt (24).

Sulla ad castra Fimbriae apud Thyatira proficiscitur. Milites a Fimbria deficiunt, Sullam consalutant et in opere faciendo strenue eum adiuvant. Quibus rebus animaduersis Fimbria, Sullae inplacabilem iram ueritus, morte periit quaesita (25).

Sulla Epheso pergit Athenas, ubi bibliothecam Apellicontis sibi eximit. Tum, aduersa ualetudine adfectus, traiecit Aedepsum ibique thermis usus est (26).

App. *Mithr.* 22—63. Sulla cum exercitu in Graeciam mittitur (22; 23).

Rhodum circumsedet frustra Mithradates (24—27).

Mithradates desperans expugnationem a Rhodo mouet. Archelaum in Graeciam mittit, qui, cum magna classe et copioso commeatu profectus, Delum, quae ab Atheniensibus defecerat, aliaque castella expugnat. Perducit Athenienses ad amicitiam regis (27 extr. — 28 init.). Relationem egreditur Appianus digressiones de Aristione faciendo, qui, philosophus e grege Epicuri, tyrannidem occupauerit Athenis in patria, ciuiumque alios, quod Romanis fauerent partibus, statim interficiendos curauerit, alios transmiserit ad Ponticum regem (28).

Achaei et Lacedaemonii Boeotique omnes exceptis Thespiensibus ad Archelaum deficiunt. Metrophanes, a Mithradate cum alia manu militum submissus, in Graeciam

uenit regionesque nonnullas populatur. Bruttius Sura e proelio nauali, cum illo Metrophane gesto, uictor euadit. Idem porro Boeotiam petit et circa Chaeroneam cum Aristione et Archelao Marte conflictatur communi. Superuenientibus uero Lacedaemoniorum Achaeorumque auxiliis castra ad Piraeum mouet, quem et ipsum paullo post classe aduectus occupat Archelaus (29).

Sulla in Graeciam uenit Athenasque et Piraeum obsidet. Urbem ipsam expugnat, non uero Piraeum, cuius in partem munitissimam, mari undique cinctam, Archelaus muris derelictis se recipit. Quam Sulla nauibus carens ne adtentare quidem potest (30—40).

Subito Archelaus Piraeum deserit, quem portum Sulla tum demum capit. Archelaus circa Thermopylas conligit relliquias copiarum omnium, quas uel ipse in Graeciam adduxerat, uel quae Dromichaeta duce aduenerant. Eos quoque arcessit, qui cum regis filio Arcathia Macedoniam ingressi erant. Interea Sulla Piraeo incenso et ipse per Boeotiam proficiscitur. Castra conferuntur. Archelaus continue suos producit pugnandi potestatem faciens. Sulla uero cunctatur, loci naturam et hostium multitudinem circumspiciens. Recedit deinde uersus Chalcidem Archelaus. Quem subsequitur Sulla, tempus locumque obseruans. Proelium ad Chaeroneam, in quo Archelaus a Sulla uincitur (41—45).

Archelaus insulas populatur. Mithradates, ad cladis nuntium terrore timoreque perculsus, in urbes Asiae multis saeuit modis. Chiis ab eo, cum Romanis fauerent, crudelissime punitis Ephesii a Pontico rege palam deficiunt [1]). Ad quorum exemplum desciscunt Tralliani, Hypaepeni, Mesopolitae et alii nonnulli. Quae dum in Asia

---

[1]) Cf. MOMMSEN, *R. G.* II. p. 294 not.

geruntur, LXXX milium exercitum Mithradates conligit, quem Dorylaus in Graeciam ducit ad Archelaum, cui e prioribus copiis X adhuc milia reliqua erant. Una tamen cum Archelao apud Orchomenum Dorylaus a Sulla fugatur (45—50).

Sulla Boeotiam propter crebras defectiones diripuit. Transgressus in Thessaliam hiemauit, Lucullum cum nauibus exspectans. Interim in urbe ab inimicis, Cinna et Mario, hostis reipublicae iudicatus erat. L. Valerium Flaccum in locum Marii, qui initio consulatus VII mortuus erat, consulem factum Cinna in Asiam misit, ut pro Sulla prouinciae praeesset ac bellum contra Mithradatem gereret. Eum praui ingenii uirum, auarum, in puniendo crudelem ac rei militaris inperitum comitatus est unus e senatoribus, Fimbria, uir apud milites haud exiguae auctoritatis. Forte inter Fimbriam et quaestorem lite exorta Flaccus arbiter nullam habuit rationem honoris Fimbriae, qui hoc indigne ferens minatus est, se in urbem reuersurum. Successor ei tum a Flacco datus est. Per absentiam Flacci, Chalcedonem profecti, Thermo, pro praetore ab illo relicto, fasces abstulit Fimbria. Deinde ipsum Flaccum iratum mox reuersum fugere coegit. Quem uero breui post Fimbria occidit, Nicomediae puteo protractum. Caput abscissum in mare proiecit, reliquum autem truncum reliquit insepultum.

Iamque sibi imperatoriam usurpans dignitatem Fimbria non inprospere cum Mithradatis filio pugnauit. Ipsum breui post Mithradatem intra Pergamum compulit. Unde in Pitanem profugum insecutus, fossa conatus est circumdare, donec rex navibus conscensis Mitylenem fugit. Ilium tum a Fimbria oppugnatur. Petit urbs a Sulla auxilium, qui se uenturum promittit. Fimbriae dein aperiunt portas Ilienses primum haesitantes quidem, uerum postquam per iocum mentione facta cognationis, quae illis cum Romanis intercederet, addictos iam amicitiae Romanorum conlau-

dauit, consilium mutarunt. Urbem Fimbria ingressus obuios interfecit quosque, omnia incendit. Perperam Appiano iudice perhibent nonnulli, Palladium, olim de coelo delapsum, inlaesum tunc esse inuentum, cum constet, ablatum esse Ilio bello Troiano ab Ulysse ac Diomede. „Sunt autem," inquit Appianus, „qui inter hanc et priscam illam Ilii cladem circiter ML annos intercedere putent."

Mithradates per litteras Archelao mandat, ut quam honestissimis posset conditionibus finem bello faciat.

Archelaus et Sulla ad conloquium conueniunt. Quorum hic in fine sui ad Archelai orationem responsi dixit, aequum esse, nullas a se omnino pacis conditiones Mithradati concedi. Archelai uero gratia regem ueniam impetraturum a S. P. Q. R., si ex animo resipuerit. Quodsi nunc quoque simularet, se Archelaum commonere, ut ipse sibi consuleret praesentemque statum rerum tam illius quam suarum consideraret cogitaretque, quo pacto et ille aliis e suis amicis usus esset et Romani quo modo usi essent Eumene et Masinissa.

Ad haec autem Archelaus respondens, indignabundus tentationem repudiauit, negans se unquam proditurum eum, qui sibi imperium commisisset copiarum. De pace autem bene sperare se, aiebat, si modo iustas Sulla conditiones tulisset.

Tum Sulla conditiones suas dixit: Mithradates omnem classem traderet, duces, legatos, captiuos, transfugas, seruos redderet, Chios e Ponto dimitteret, praesidia locis deduceret omnibus, sumptus denique in hoc bellum factos, cuius ipse causa fuisset, restitueret ac paterno regno contentus esset. Quibus auditis, Archelaus de conditionibus ad regem perscripsit.

Interea Sulla bene otio utens Enetos, Dardanos, Sintos, gentes Thraciae, quae Macedoniam incursionibus infestabant, uicit et populatus est.

Legati, a Mithradate reuersi, dixerunt, acquiores regem conditiones ab altero Romanorum imperatore Fimbria impetraturum. Respondit Sulla, et Fimbriam daturum poenas, et se ipsum quam primum in Asia uisurum praesentem, pacemne an bellum cuperet Mithradates?

Haec effatus, ad Cypsella per Thraciam duxit; mox mouit Cypsellis et Mithradates Pergamo rursusque in conloquium uenerunt. Rex prior uerba fecit, Sulla respondit. Cuius tandem iracunda oratione territus Mithradates in pacis conditiones consensit, inque Pontum rediit, regno contentus paterno. Atque ita primum bellum Mithradaticum compositum est.

Denique Appianus exitium Fimbriae narrat, qui Pergami in templo Aesculapii gladio se percussit. Cum uero uulnus non esset letale, seruum adigere denuo ferrum iussit, qui dominum primum, statim uero se ipsum quoque interfecit. Copias Fimbriae in fidem Sulla recepit cum suisque coniunxit (51—60).

Sulla, postquam ad senatum omnia perscripsit, hostem se iudicatum esse dissimulans, Asiam prouinciam ordinauit interque populi Romani socios Ilienses, Chios, Lycios, Rhodios, Magnesios, alios adscripsit. Edixit porro per praecones, ut quotquot mancipia libertatem a Mithradate accepissent statim redirent in herilem potestatem. Tum seuerissimis adficiebantur poenis ciues uel populi, qui regiae fuerant factionis. Post haec optimates ciuitatum iussit, ad certum diem Ephesi adesse. Inter quos, postquam conuenerunt, pro tribunali est contionatus. Orationis eius summa erat: multas ob causas, sed in primis quoniam sustinuissent illae ciuitates iussu Mithradatis, uno die Italos omnes interficere cum liberis et matribus ac ne illis quidem pepercissent, qui ad aedes et templa confugissent, publicam eis multam inrogari oportere. Populum uero Romanum sanguinem non quaerere caedesque inpias ac

publicationes bonorum temerarias ab eo abesse. Carissimam esse Romanis laudem mansuetudinem. Quare tributum tantum annorum quinque sumptusque, in bellum factos, eis inponeret.

Dicto Sullae audientes, ciuitates pecunias ad eum comportant Asia sub pondere calamitatum gemente. Vagabantur enim per Asiae oras piratae, portus, oppida, castella propalam inuadentes.

Sulla autem nullo modo ciuitatibus opem tulit, sed siue quod propter peccata eas auxilio existimaret indignas, siue quod propter seditiones Romam properaret, in Graeciam et inde in Italiam traiecit (61—63).

---

§ 2.

**Inuestigatur, ad quosnam redeant auctores quae a Plutarcho et Appiano traduntur de rebus gestis Sullae ab initio inde belli usque ad pugnas apud Chaeroneam et Orchomenum.**

PLUT. *Sull.* 11—21 = APP. *Mithr.* 22—50.

Citat Plutarchus commentarios Sullae cap. 14 bis [1]), cap. 16 semel [2]), cap. 17 semel [3]), cap. 19 semel [4]), Iubam cap. 16 [5]). Praeterea quaedam hausit ex sua scientia

---

[1]) *λέγει δὲ αὐτὸς ὁ Σύλλας ἐν τοῖς ὑπομνήμασι.* — *ἑλεῖν δὲ τὰς Ἀθήνας αὐτὸς φησιν ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν.*

[2]) *Φιλοβοιωτὸς καλεῖται καὶ τὴν φύσιν αὐτοῦ καὶ τὴν θέσιν ἐπαινεῖ θαυμασίως ὁ Σύλλας.*

[3]) *ὡς δὲ Σύλλας αὐτὸς ἐν δεκάτῳ τῶν ὑπομνημάτων γέγραφεν.*

[4]) *ὁ δὲ Σύλλας λέγει τέσσαρας καὶ δέκα ἐπιζητῆσαι τῶν αὐτοῦ στρατιωτῶν.*

[5]) *ὁ δὲ Ἰόβας οὐ Γαβίνιον φησι πεμφθῆναι ἀλλὰ Ἐρίκιον.*

cap. 17 [1]) atque e fama uulgari cap. 17 [2]). Tandem aliquid habet de suo cap. 21 [3]).

Satis igitur constat, Sullam Plutarchi fuisse fontem [4]). Nonnulla tamen aliunde desumpta esse uidentur [5]), fortasse ex opere Iubae [6]).

Venio ad Appianum.

App. *Mithr.* 22.

„χρήματα δ' οὐκ ἔχοντες αὐτῷ ἐξενεγκεῖν, ἐψηφίσαντο πραθῆναι ὅσα Νουμᾶς Πομπίλιος βασιλεὺς ἐς θυσίας θεῶν διετέτακτο."

Oros. V, 18.

„Namque, cum penitus exhaustum esset aerarium et ad stipendium frumenti deesset expensa, loca publica, quae in circuitu Capitolii pontificibus, auguribus, decemuiris et flaminibus in possessionem tradita erant, cogente inopia uendita sunt."

App. *Mithr.* 23.

„Τραλλιανοὶ δ' αὐθέναι τοῦ κακοῦ φυλαξάμενοι γενέσθαι, Παφλαγόνα Θεόφιλον, ἄγριον ἄνδρα, ἐς τὸ ἔργον ἐμισθώσαντο."

Cass. Dio. fg. 101. 1. [7]).

„Τραλλιανοὶ οὐδένα ἀπέκτειναν, Θεόφιλον δέ τινα Παφλαγόνα ἐμισθώσαντο."

---

[1]) *ὁ μέντοι τόπος ἐν ᾧ κατεσκήνωσεν ἄχρι νῦν Ἀρχέλαος ἀπ' ἐκείνου καλεῖται.*

[2]) *περὶ ὧν οἱ μὲν ἐπιχώριοι πλείονα λέγουσιν. — Θουροῦς ..., ὃν οἰκιστὴν γεγονέναι τῆς Χαιρωνείας ἱστοροῦσιν. — οἱ δέ φασι τὴν Κάδμῳ κτέ. — Θὼρ γὰρ οἱ Φοίνικες τὴν βοῦν καλοῦσιν.*

[3]) *ὥστε μέχρι νῦν πολλὰ βαρβαρικὰ τόξα καὶ — — εὑρίσκεσθαι.*

[4]) H. Peter, *die Quellen Plut.* p. 60. — Klapp, p. 24 sq. — Contra Lely, *Plut. et App. de Bellis Mithr.*, Amst. 1879, p. 1 contendit, uitam Sullae pro maiore parte e Liuio esse haustam, qua in re ei haud facile multi adsentientur.

[5]) H. Peter l.l.

[6]) Id. p. 59 sq.

[7]) Ed. Dindorf 1863, Vol. I. p. 140.

Existimauerit quispiam, Appianum duobus locis laudatis Liuium inspexisse, cum non differat ab Orosio, qui compilator Liuii est [1]), neque a Dione, qui praeter alios scriptores Liuium uerisimiliter contulit [2]).

Hoc tamen non credo.

App., *Mithr.* 24—28 init., locupletissime Rhodi obsidionem exponit et adcuratissime describit, quare haec mihi e Posidonio ducta uidentur, quem ueri est simillimum illi oppugnationi testem adfuisse, quippe quem nouerimus paullo post legatum missum esse Romam ad Marium VII consulem, ut auxilium Romanorum aduersus Mithradatem inploraret. In qua legatione Marium uidit adflictum fortunae ac ualetudinis calamitate, quemadmodum supra diximus (cf. p. 47 not. 1; p. 54 not. 3).

Hoc potius credo, quam quod uult Reinhardus Iordanus [3]), qui Liuium ei fontem fuisse arbitratur.

Locus Liv. per. LXXVIII est: „urbem Rhodum, quae sola in fide permanserat, oppugnauit, et aliquot proeliis naualibus uictus recessit."

Flor. I. 40. 8: „excepta Rhodo, quae pro nobis firmius stetit, caeterae Cyclades — tenebantur."

E quibus uerbis quod ad auctorem Appiani adtinet nihil me iudice sequitur.

Quod App. habet: XX milia hominum in castellis, ab Archelao expugnatis, caesa esse, quorum plerique fuissent Itali, nusquam legitur alias.

---

[1]) Cf. p. 26 not. 10.

[2]) Koehler § 6. — Nissen, *krit. Unters. über die Q. der* 4. *u.* 5 *Dec. des Liv.* Berlin 1863, p. 308. — Grasshoff, *de fide et auct. Dionis Cassii Cocceiani* diss., Bonn. 1867, p. 8 sqq. — Böttcher, *über die Q. des Cassius Dio*, Halberstadt 1872, p. 20.

[3]) R. Iordanus, *de fontt. App. in bell. Mithr. enarrandis* diss. inaug., Gött. 1872, p. 36, ubi porro conicit cum Toepelmanno, *de Posid. rerum scriptore* p. 2, Liuium sua debere Posidonio.

App. *Mithr.* 28. Iordanus [1]) etiam hoc loco putat Liuium Appiano auctorem fuisse, quanquam neque in periochis, neque apud compilatores eius, nisi apud Eutropium, quidquam ad hanc rem pertinens legimus.

Verba Eutropii V. 6 sunt haec: „Interea etiam Athenae, ciuitas Achaiae, ab Aristione Atheniensi Mithradati tradita est. Miserat enim iam ad Achaiam Mithradates Archelaum, ducem suum, cum centum et uiginti milibus equitum ac peditum, per quem etiam reliqua Graecia occupata est."

Aptius uero mihi uidetur cum Appiano conparare locum Posidonii, seruatum apud Athenaeum:

App. *Mithr.* 28.

„Καὶ αὐτοὺς (Ἀθηναίους) ἐς φιλίαν ὑπηγάγετο (Ἀρχέλαος)· τά τε χρήματα αὐτοῖς τὰ ἱερὰ ἔπεμπεν ἐκ Δήλου δι' Ἀριστίωνος ἀνδρὸς Ἀθηναίου, συμπέμψας φυλακὴν τῶν χρημάτων ἐς διςχιλίους ἄνδρας, οἷς ὁ Ἀριστίων συγχρώμενος ἐτυράννησε τῆς πατρίδος, καὶ τῶν Ἀθηναίων τοὺς μὲν εὐθὺς ἔκτεινεν ὡς ρωμαΐζοντας, τοὺς δ' ἀνέπεμψεν ἐς Μιθραδάτην, καὶ ταῦτα μέντοι σοφίαν τὴν Ἐπικούρειον ἠσκηκώς. ἀλλὰ γὰρ οὐχ ὅδε

Posid. *ap. Athen.* Lib. V. p. 211—214 [2]).

„Ἐν τῇ Ἐρυμνέως τοῦ Περιπατητικοῦ σχολῇ διέτριβέ τις Ἀθηνίων, προσχαρτερῶν τοῖς λόγοις· ὅστις Αἰγυπτίαν ὠνησάμενος θεράπαιναν, ἐπεπλέκετο αὐτῇ. ταύτης οὖν εἴτ' ἐξ αὐτοῦ τεκούσης, εἴτ' ἐξ ἄλλου τινός, ὁμώνυμος Ἀθηνίωνι τῷ δεσπότῃ παρετρέφετο. γράμματα δὲ μαθὼν, καὶ πρεσβύτην γενόμενον τὸν δεσπότην μετὰ τῆς μητρὸς ἐχειραγώγει· καὶ ἀποθανόντα κληρονομήσας, παρέγγραφος Ἀθηναίων πολίτης ἐγένετο.

---

[1]) Iordanus, p. 37 et 38, fretus uno Eutropii loco dicit: „consentit igitur Liuius cum Appiano de nomine tyranni, ac ueri similius est, e Liuio hausisse auctorem nostrum quam e Posidonio."

[2]) Athen., *Deipnosoph.*, ed. Schweigh., Argentor. 1802, Tom. II., p. 315 sqq. Cf. Mueller, *fg. Hist. Graec.*, Paris. Didot. 1849. Vol. III, p. 266 sqq. — J. Bake, *Posidon. rell.* p. 157 sqq.

μόνος Ἀθήνησιν, οὐδὲ Κριτίας ἔτι πρὸ τούτου, καὶ ὅσοι τῷ Κριτίᾳ συμφιλοσοφοῦντες ἐτυράννησαν, ἀλλὰ καὶ ἐν Ἰταλίᾳ τῶν πυθαγορισάντων καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ Ἑλλάδι τῶν ἑπτὰ σοφῶν λεγομένων ὅσοι πραγμάτων ἐλάβοντο, ἐδυνάσευσάν τε καὶ ἐτυράννησαν ὠμότερον τῶν ἰδιωτικῶν τυράννων, ὥςε καὶ περὶ τῶν ἄλλων φιλοσόφων ἄπορον ποιῆσαι καὶ ὄποπτον, εἴτε δι' ἀρετὴν, εἴτε πενίας καὶ ἀπραξίας τὴν σοφίαν ἔθεντο παραμύθιον, ὧν γε καὶ νῦν πολλοὶ ἰδιωτεύοντες καὶ πενόμενοι, καὶ τὴν ἀναγκαίαν ἐκ τῶνδε σοφίαν περικείμενοι. τοῖς πλουτοῦσιν ἢ ἄρχουσι λοιδοροῦνται πικρῶς, οὐχ ὑπεροψίας πλούτου καὶ ἀρχῆς δόξαν σφίσι μᾶλλον ἢ ζηλοτυπίας ἐς αὐτὰ προφέροντες. ὑπερορῶσι δ' αὐτῶν οἱ βλασφημούμενοι πολὺ σοφώτερον."

γήμας τε παιδισκάριον εὔμορφον, μετὰ τοῦτον πρὸς τὸ σοφιζεύειν ὥρμησε, μειράκια σχολαστικὰ θηρεύων. καὶ σοφιζεύσας ἐν Μεσσήνῃ, κἄν Λαρίσῃ τῇ Θετταλικῇ, καὶ πολλὰ ἐργασάμενος χρήματα, ἐπανῆλθεν εἰς τὰς Ἀθήνας. καὶ χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων πρεσβευτὴς, ὅτε εἰς Μιθραδάτην τὰ πράγματα μετέρρει, ὑποδραμὼν τὸν βασιλέα τῶν φίλων εἷς ἐγένετο, μεγίστης τυχὼν προαγωγῆς (p. 211, e, f; p. 212, a).

Ἤδη οὖν τῆς Ἀσίας μεταβεβλημένης ὁ Ἀθηνίων ἐπανῆκεν εἰς τὰς Ἀθήνας (p. 212, b). — καὶ μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας τύραννον αὐτὸν ἀναδείξας ὁ φιλόσοφος, καὶ τὸ τῶν Πυθαγορικῶν ἀναδείξας δόγμα περὶ τῆς ἐπιβουλῆς, καὶ τί ἠβούλετο αὐτοῖς ἡ φιλοσοφία, ἣν ὁ καλὸς Πυθαγόρας εἰσηγήσατο, καθάπερ ἱςόρηαε Θεόπομπος ἐν ὀγδόῃ Φιλιππικῶν, καὶ Ἕρμιππος ὁ Καλλιμάχειος· εὐθέως καὶ οὗτος τοὺς μὲν εὖ φρονοῦντας τῶν πολιτῶν (παρὰ τὰ Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου δόγματα, ὡς ἀληθῆ εἶναι τὴν παροιμίαν τὴν λέγουσαν „μὴ παιδὶ μάχαιραν") ἐκποδὼν εὐθὺς ἐποιήσατο. φύλακας δ' ἐπὶ τὰς πύλας κατέςησεν, ὡς νύκτωρ πολλοὺς τῶν Ἀθη-

ναίων εὐλαβουμένους τὸ μέλλον, διὰ τῶν τειχῶν αὐτοὺς καθιμήσαντας φεύγειν. καὶ ὁ Ἀθηνίων ἱππέας ἐπαποστελλας, οὓς μὲν ἐφόνευσεν, οὓς δὲ καὶ δεδεμένους κατήγαγεν (p. 213, f; p. 214, a)."

Breuior est Plutarchus de hoc Aristione, cf. PLUT. *Sull.* 12: „Σύλλας ταῖς Ἀθήναις διὰ τὸν τύραννον Ἀριστίωνα βασιλεύεσθαι ἠναγκασμέναις ἐπέζη."

Id. *Sull.* 13 de moribus eius loquitur: „ὁ τύραννος Ἀριστίων, ἄνθρωπος ἐξ ἀσελγείας ὁμοῦ καὶ ὠμότητος ἔχων συγκεμένην τὴν ψυχήν, καὶ τὰ χείριστα τῶν Μιθραδατικῶν συνερρυηκότα νυσημάτων καὶ παθῶν εἰς ἑαυτὸν ἀνειληφώς [1])."

In tribus [2]) autem rebus Appianus a Posidonio differt. Primum dissensus est inter eos de nomine hominis [3]). Tum secus quam Posidonius, qui eum Peripateticis adscribit, Appianus Epicureum eum fuisse tradit. Tertio loco Posidonius non dicit quod Appianus habet, eum cum duobus milibus militum Athenas missum esse.

---

[1]) Cf. PLUT. *Sull.* 23; id. *praecept. ger. rei publ.* 14, ed. Dübn. Moral. Vol. II. p. 988.

[2]) IORDAN., p. 37 profert quattuor res, in quibus scriptores illi inter se dissentiant, nempe tres, quas supra cito, quibus quartam addit: „Posidonium non fecisse mentionem de ciuibus Atheniensibus, partim interfectis, partim ad Mithradatem missis", qua de re aliter iudico. Mihi enim haec uerba Posidonii: „*ὁ Ἀθηνίων οὓς μὲν ἐφόνευσεν, οὓς δὲ καὶ δεδεμένους κατήγαγεν*" eadem dicere uidentur, quae App.: „*τοὺς μὲν ἔκτεινεν τοὺς δ' ἀνέπεμψεν ἐς Μιθραδάτην.*"

[3]) Plutarchus et Eutropius (cf. l.l. cc.) cum Appiano scribunt: *Aristion*, quod nomen etiam legitur ap. STRAB. IX. 1. 20, ed. Kramer. Vol. II. p. 226.

Quae tamen res mihi non obstare uidentur quominus Posidonium fontem habeamus, cum in caeteris omnibus uterque eadem ferme memoriae prodat. Nemini certe in mentem ueniet existimare, alium fuisse Aristionem, alium Athenionem. Non certamus de nominibus.

Praesertim notandum est, Appianum et Posidonium pariter de philosophis disputare.

Appianus animaduertit, multos philosophos inde a septem sapientibus principatum adfectasse in ciuitatibus tyrannidemque occupasse et crudeliores exstitisse, quam eos, qui, sapientia non inbuti, peruenissent ad potestatem: „ὥςε καὶ περὶ τῶν ἄλλων φιλοσόφων ἄπορον ποιῆσαι καὶ ὕποπτον, εἴτε δι' ἀρετὴν, εἴτε πενίας καὶ ἀπραξίας τὴν σοφίαν ἔθεντο παραμύθιον."

Posidonius, memorans Athenionem tyrannide occupata bonos ciues e medio sustulisse, dicit: „τὸ τῶν Πυθαγορικῶν ἀναδείξας δόγμα περὶ τῆς ἐπιβουλῆς, καὶ τί ἠβούλετο αὐτοῖς ἡ φιλοσοφία, ἣν ὁ καλὸς Πυθαγόρας εἰςηγήσατο."

Addam tandem uerba Athenaei V. p. 211 d. e.: „περὶ οὗ (Ἀθηνίωνος) καθ' ἕκαςα ἱςορεῖ Ποσειδώνιος ὁ Ἀπαμεύς. ἅπερ, εἰ καὶ μακρότερά ἐςιν, ἐκθήσομαι ἵν' ἐπιμελῶς πάντας ἐξετάζωμεν τοὺς φάσκοντας εἶναι φιλοσόφους, καὶ μὴ τοῖς τριβωνίοις καὶ τοῖς ἀκάρτοις πώγωσι πιςεύωμεν."

Quam ob causam App. *Mithr.* 28 haustum esse e Posidonio existimo [1]).

App. *Mithr.* 29. Plutarchus res aliter narrat. Tacet enim de Metrophane atque de pugna nauali. Bruttius Sura secundum Plutarchum legatus est Sentii, Macedoniae praetoris, neque, sicut Appianus habet, cum Archelao marte communi conflictatur, sed tribus ad Chaeroneam

---

[1]) Ita etiam opinatur Mueller, *fg. H. Gr.* Vol. III. p. 270.

factis proeliis eundem Archelaum reprimit et ad mare reicit.

Apud Appianum superueniunt auxilia e Peloponneso, quae Suram e castris ad Piracum expellunt, quem portum Archelaus mox classe aduectus occupat.

Plutarchus refert, Suram iussu L. Licinii Luculli, qui erat pro quaestore in Asia et in Graecia, statim, ut Sullae uenienti cederet, Boeotiam reliquisse et ad Sentium rediisse.

Liv. per. LXXVIII: „praeterea trepidationem urbium insularumque aliis ad Mithradatem aliis ad populum Romanum ciuitates suas trahentibus continet."

Eutrop. V. 6: „miserat enim Mithradates Archelaum cum centum et uiginti milibus equitum ac peditum, per quem etiam reliqua Graecia occupata est."

Oros. VI. 2: „Archelaus, dux Mithradatis, cum centum uiginti milibus peditum atque equitum in Achaiam praemissus, Athenas cunctamque Graeciam partim ui, partim deditione obtinuit."

Si cum uerbis periochae: „aliis ad Mithradatem aliis ad populum Romanum ciuitates suas trahentibus" comparauerimus Appiani uerba: „Μιτροφάνης Εὔβοιαν καὶ Δημητριάδα καὶ Μαγνησίαν οὐκ ἐνδεχομένας τὰ Μιθραδάτεια ἐλεηλάτει" non negabimus, quandam conuenientiam inter eos obseruari, nam ex Appiani loco adparet, ciuitates eas a Romanis stetisse.

Quod Orosius habet: „Archelaus Graeciam partim ui, partim deditione obtinuit" etiam cum Appiani uerbis non pugnat: „Ἀρχελάῳ δ' Ἀχαιοὶ καὶ Λάκωνες προσετίθεντο καὶ Βοιωτία πᾶσα χωρίς γε Θεσπιέων, οὓς περικαθήμενος ἐπολιόρκει." Ex his enim discimus, Achaeos, Lacedaemonios, alios se dedisse, Thespienses contra ui sub potestatem Mithradatis venisse.

App. *Mithr.* 30—40. Respondent hisce decem capitibus Appiani tria Plutarchi capita, nempe *Sull.* 12. 13. 14, qui igitur multo breuior est in obsidione Athenarum describenda atque raro cum Appiano conspirat.

Plut. 12: ingentes machinae ad obsidionem necessariae, quibus fabricandis materia deficiente Sulla sacros Academiae Lyceique lucos adgressus est arboresque ex eis cecidit, in primis obsessioni ipsius arcis (τῆς ἄνω πόλεως) inseruiunt.

App. 30 eiusmodi etiam tradit res, sed modo de Piraeo agit: „ὁ δὲ (Σύλλας) μέρος τι στρατοῦ ἐς τὸ ἄστυ περιπέμψας Ἀριστίωνα πολιορκεῖν, αὐτὸς ἔνθαπερ ἦν Ἀρχέλαος ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ κατῆλθε κατακεκλεισμένων ἐς τὰ τείχη τῶν πολεμίων" et breui post: „καὶ μηχανὰς ἐπὶ τὸν Πειραιᾶ συνεπήγνυτο καὶ χῶμα αὐτῷ προσχοῦν ἐπενόει.

Apud Plut. 12 Sulla materiam ex Academia et e Lyceo sumit. Apud App. 30 tantum de Academia mentio fit. Simul tamen hic Thebas quasi horreum Sullae adpellat, ex quo omnis adparatus, ferrum, catapultae ceteraque huiusmodi peterentur, qua de re Plutarchus seruat silentium.

Plut. ibid. de thesauris loquitur, e diuersis templis a Sulla abductis, cuius rei App. *Mithr.* 54 demum mentionem facit, ubi tamen, ut postea uidebimus, consentit cum Plut. 19.

Plut. 12 digressionem facit, conparans tempora Flaminini, Acilii, Aemilii Paulli cum tempore Sullae. Illos nempe non modo sacris Graecorum abstinuisse thesauris, sed et dona et honorem et splendorem multiplicem addidisse. Sullae uero tempestate, cum ad imperia gerenda non tam uirtute quam ui peruueniretur armorumque contra ciues maior quam aduersus hostes usus esset, in bello administrando simul militibus opus esse blandiri, quare Sulla pecunia deficiente manum iniecisset sacris Graeciae thesauris et donariis, quae pulcherrima et pretiosissima

Epidauri, Olympiae, Delphis fuissent. Ita autem militibus blandientes neque animaduertentes, quae in uoluptates eorum inpenderent, ut eorum operas redimerent, his ipsis Sullam eiusque aequales suam patriam uenalem reddidisse utque melioribus imperare possent, ideo pessimorum seruos factos esse: „ταῦτα," pergit Plutarchus, „ἐξήλαυνε Μάριον, εἶτ' αὖθις ἐπὶ Σύλλαν κατῆγε, ταῦτα Ὀκταουίου τοὺς περὶ Κίνναν, ταῦτα Φλάκκου τοὺς περὶ Φιμβρίαν αὐτόχειρας ἐποίησεν [1])."

Plut. 12. 13. 14 Piraei rationem non habet; describit solum obsidionem τοῦ ἄστεως καὶ τῆς ἄνω πόλεως. In fine demum capitis 14 dicit: „εἶχε δὲ καὶ τὸν Πειραιᾶ."

Aristion tyrannus dux est Atheniensium; de Archelao ne uerbo quidem mentio fit. Est hic, ut nouimus, ad mare reiectus a Bruttio Sura (cf. p. 69 sq.); emergit demum cap. 15 cum classe apud Munychiam.

Apud App. *Mithr.* 30—40 contra Archelaus primas partes agit. Piraeus circumsedetur atque haec obsessio est, cui describendae ei octo capita opus fuere, Plutarcho 14 totam rem tribus absoluente uersibus: „εἶχε δὲ καὶ τὸν Πειραιᾶ μετ' οὐ πολὺν χρόνον ὁ Σύλλας, καὶ τὰ πλεῖστα κατέκαυσεν, ὧν ἦν καὶ ἡ Φίλωνος [2]) ὁπλοθήκη, θαυμαζόμενον ἔργον."

*Hac uero de re non pugnant inter se, urbem ipsam prius* a Sulla *expugnatam* esse *quam Piraeum.*

---

[1]) Lely, *Plut. et App.* p. 7, dicit, ex hoc loco sequi, Plutarchum non omnia e Sullanis „memoriis" habere. Si per „memorias" intellegit „commentarios Sullae" ei quod ad hanc rem adtinet adsentior. Redeunt quae h. l. Plut. tradit siue ad eum fontem, quem p. 64 citaui (not. 6), siue fortasse ad Sall. Catil. c. 11 § 4 sqq.

[2]) Hoc armamentarium erat Philonis medici. Cf. Plut. *quaest. conuiual.*, lib. IV, quaest. I, ed. Dübn. Moral., Vol. II. p. 802 sqq.

Hic illic Appianus urbis et arcis mentionem facit, e. g. 35 extr., sed transit 36 init. confestim ad Piraeum.

App. 37 extr. Ab oppugnatione Piraei Sulla aliquamdiu desistit.

App. 38 et 39. Urbem et arcem expugnat. Aristion cum suis satellitibus extremo adficitur supplicio.

App. 40 init. Ita urbe capta rursus Sulla Piraeum obsidione premit.

App. 41. Sulla Piraeum expugnat et incendit, postquam Archelaus hunc portum dereliquit perque Boeotiam in Thessaliam profectus est. Addit Appianus, Sullam apud Piraeum plus quam apud urbem laborum exhausisse: „ὁ δὲ Σύλλας τὸν Πειραιᾶ, τοῦ ἄστεος μᾶλλον ἐνοχλήσαντά οἱ, κατεπίμπρη."

Refert et Plut. 14, Piraeum a Sulla incensum esse: „εἶχε τὸν Πειραιᾶ, καὶ τὰ πλεῖστα κατέκαυσεν." Appianus de *armamentario* loquens (φειδόμενος οὔτε τῆς ὁπλοθήκης) non addit, hoc θαυμαζόμενον ἔργον (sicut a Plutarcho adpellatur) Philonis fuisse.

Cur autem Archelaus Piraeum reliquerit Thessaliamque petierit Appianus non dicit.

Causa, quam Plutarchus adfert, est Archelaum a Taxile uocatum esse et quidem e portu Munychia, ubi in statione esset.

Dissentiunt igitur a se inuicem tantopere Plutarchus et Appianus, ut nequaquam existimandum sit, eos ex eodem hausisse fonte. Contrariam opinionem profert Lely, *Plut. et App.* p. 6 sq., ita disputans: „in hisce Appianus et Plutarchus res ita enarrant et disponunt, ut ex uno fonte haurire potuerint, non ita ut necessario unum habere debuerint." Tum fretus duobus locis: Plut. 12, ubi hic „Sullam in eorum numero ponit, qui ui, non uirtute principatum obtinuerunt (cf. p. 72 not. 1)" et Plut. 14, cui loco „*paruum* indicium inest, Plutarchum *non omnia* e Sulla

descripsisse (Lely p. 7)," sic concludit: „haec e Sullae *memoriis* non manasse per se patet; hoc tantum restat, ut sumpta sint aut e Liuio, aut ex uno alteroue aequali eius."

Idem uero sibi proposuit demonstrare „contra Heerenum et Peterum, uitam Sullae pro *maiore* parte e Liuio haustam esse (Lely p. 1)." Quod e disputatione eius, quam supra citaui, non facile conligitur. Alio loco legitur (Lely p. 12): „Video secundum Peterum Plutarchum inde a capite tertio per partem multo maiorem totum se addixisse commentariis perpaucis ex aliis auctoribus inspersis. *Tamen ualde cauendum est, ne temere credamus, Plutarchum semper eum praecipue auctorem sequi, quem laudat.*" Cum quibus uerbis pugnare uidentur quae mox (p. 13) Lely scribit. Citans enim *Sull.* 28: „ἔνιοι δέ φασιν, ὧν καὶ Φαινεστέλλας ἐςίν," dicit: „*ergo* praeter Sullam et Liuium *etiam alios auctores inspexit.*"

Videamus quae Liuius, Florus, Eutropius, Orosius suppeditent:

| App. 30. | Flor. I. 40. 10. | Oros. VI. 2. |
|---|---|---|
| „ὕψος δ' ἦν τὰ τείχη πήχεων τεσσαράκοντα μάλιςα." | „portus sex aut amplius muris cinctus." | „portum septemplici muro communitum." |

Etsi App. numerum murorum non adcurate designat, tamen de pluribus muris loquitur, cf. App. 37 „ὁ δ' Ἀρχέλαος αὐτίκα νυκτὸς τὰ πεπτωκότα τοῦ τείχους ᾠκοδόμει, μηνοειδῆ αὐτοῖς πολλὰ περιθεὶς ἔνδοθεν." Id. 40 „καὶ κατήρειψέ τι τοῦ μηνοειδοῦς, ὑγροτέρου καὶ ἀσθενεςέρου ἔτι ὄντος ἅτε νεοδμήτου. ὑπιδομένου δὲ τοῦτο ἔτι πρότερον Ἀρχελάου, καὶ προοικοδομήσαντος ἔνδοθεν ὅμοια πολλά, τὸ μὲν ἔργον ἦν τῷ Σύλλᾳ διηνεκὲς ἐμπίπτοντι ἐς ἕτερον ὅμοιον ἐξ ἑτέρου."

Apud App. Piraeum contra Sullam defendit Archelaus. Eadem habent Eutrop. V. 6 (Sulla Archelaum apud Piraeum obsedit) et Oros. VI. 2 (Sulla Archelaum apud Piraeum diu obsedit).

Tum consensus hac quoque in re inter Appianum et Liuium cernitur [1]).

App. 34.

„τῆς δ' αὐτῆς ἡμέρας αὐτῷ καὶ Μουνάτιος περὶ Χαλκίδα Νεοπτόλεμον ἕτερον στρατηγὸν κατατρώσας, ἔκτεινε μεν."

Flor. I. 40. 8.

„Missis Archelao *Neoptolemoque* praefectis."

App. 38.

„ὃ δ' ἐμπιπράναι μὲν τὴν πόλιν ἀπεῖπε, διαρπάσαι δ' ἔδωκε τῷ στρατῷ. καὶ ἕτοιμοι σάρκες ἀνθρώπων ἐς τροφὴν ἐν πολλοῖς οἰκήμασιν ηὑρέθησαν."

„τῇ δὲ ἑξῆς ὁ Σύλλας τοὺς μὲν δούλους ἀπέδοτο, τοῖς δ' ἐλευθέροις, πάμπαν οὖσιν ὀλίγοις, τὴν μὲν ἐλευθερίαν ἔφη διδόναι."

Liv. per. LXXXI.

„Urbi *libertatem* et ciuibus quae habuerant reddidit."

Flor. I. 40. 9.

„Urbem obsidione ac fame ad *humanos cibos* compulit."

E quibus forsitan quispiam deduxerit, Appianum, *Mithr.* 30—40 auctore usum esse Liuio, quod ego tamen non credo.

Mihi enim uidetur auctor Appiani non fuisse scriptor Latinus, sed potius aequalis Sullae huiusque contra Mithradatem belli testis, Posidonius.

Transeo ad App. *Mithr.* 41—45 (cf. p. 59).

---

[1]) Quo pacto Lely p. 6, agens de Athenarum obsidione, dicere possit „Liuii epitomatores *nullum* auxilium adferunt," haud intellegitur.

| App. 41. | Liv. per. LXXXII. |
|---|---|
| „συνῆγε δὲ καὶ (Ἀρχέλαος) τὸ σὺν Ἀρκαθίᾳ τῷ παιδὶ τοῦ βασιλέως ἐς Μακεδονίαν ἐμβαλόν." | „Sulla copias regis, quae *Macedonia occupata* in Thessaliam uenerant, proelio uicit." |

| App. 45. | Eutrop. V. 6. | Oros. VI. 2. |
|---|---|---|
| „συνελέγοντο οὐ πολὺ πλείους μυρίων ἐκ δώδεκα μυριάδων γενόμενοι." | „Ut *ex CXX milibus uix decem* Archelao superessent." | „*CX milia* de exercitu Archelai *interfecta*, *uix X milia* superfuisse referuntur [1])." |

„Etiam de numero caesorum Romanorum," dicit Iordanus [2]), „consentit Appianus cum Eutropio. Leuis autem hic notandus est auctoris nostri error. E Plutarcho enim intellegimus, rectum esse numerum quem Eutropius adferat [3])."

---

[1]) Epitomator Liuii uitiose scripsit *C milibus*, nam ex Eutropio et Orosio patet, Liuium ipsum scripsisse *CX*.

[2]) Iordan., p. 42.

[3]) Ratiocinatio Iordani non quadrat, nam ex App. 45 sequitur, XIII uiros interfectos esse, e Plut. 19 XII, ex Eutrop. V. 6 XIII, qui igitur plane cum Appiano conspirat. Minus recte Iordanus l.l. et Lely p. 9 locum Eutropii citant. Non enim legitur „ut ex Sullae exercitu XIV," sed „XIII tantum homines interficcrentur" (XIII legitur in quattuor codd., in B = cod. collegii Balliolensis, in L = MS inter codd. D. G. Laudi in bibl. Bodleiana, in duobus codd. Lugd. Bat. (cf. Eutrop. ed. F. Gruner, Coburg. 1752, praef. p. 8 sq., text. p. 86 *not.*), praeterea in HM = historia miscella ex Eutropio, Paullo Diacono aliisque contexta, ed. a Grutero inter scriptores Hist. Aug. Denique Pacanius, qui breuiarium Eutropii in linguam Graecam conuertit a. 380 (cf. Teuffel, *röm. litt.* p. 972 (3e Aufl.)), iam habet *τρεῖς καὶ δέκα μόνους ἄνδρας*. Vid. porro Eutrop. l.l. ed. Droysen, Berol. Weidm. p. 35). Ex ista uitiosa lectione fluxerunt peruersae illorum scriptorum recentiorum sententiae. Nam in disputatione Iordani numerus ille argumentum est ad probandum, Appianum Liuio usum esse,

Plutarchus, qui multus est cum in ipso proelio Chaeronensi describendo, tum in loci natura depingenda, saepenumero ab Appiano differt [1]).

Statim ab initio inde aliter ille, aliter hic res narrat.

Plut. 15. Archelaus, usque in statione naues tenens apud portum Munychiam, a Taxile uocatur et, ut e contextu adparet, in Boeotiam pergit.

App. 41. Archelaus, Piraeum derelinquens, per Boeotiam petit Thessaliam et circa Thermopylas copias suas conligit.

Plut. ibid. Sulla Boeotiam fertilem sterili Atticae anteponit. Itaque, famem et penuriam fugiens, Atticam, quae aspera atque equitatui incommoda erat, relinquit, quanquam uiderat barbarorum omnem uim in equis et curribus positam. Proficiscitur igitur recta uia in Boeotiam.

App. ibid. Sulla contra Archelaum et ipse per Boeotiam proficiscitur. Ei uero adpropinquanti hostes ex Thermopylis obuiam ueniunt in Phocidem.

Quod adtinet ad pugnam Chaeronensem ipsam, Sulla in commentariis hanc adcuratissime descripsisse uidetur, cf. Plut. 18.

Quam Plutarchus non minimam cladis causam adpellat, Sullam usum omnem falcatis curribus ademisse, huius rei Appianus mentionem non facit.

Plut. l.l. „ὀξέως γὰρ ὁ Σύλλας ταρασσομένοις ἐπαγαγὼν καὶ τὸ μέσον διάζημα τῷ τάχει συνελὼν ἀφεῖλετο τὴν τῶν δρεπανηφόρων ἐνέργειαν. ἔρρωται γαρ μάλιζα μήκει δρόμου

---

in numero uero notando leuiter errantem. Lely contra ita ratiocinatur: „cum ex Eutropio pateat, Liuium et ipsum scripsisse XIV Romanorum requiri, inde iam sequitur, prorsus non constare, unde App. sua habeat, e Liuio an e Sulla." (Lely l.l.).

[1]) Contrariam sententiam Lely p. 8 uindicare conatus est. Nititur tamen duobus tantum locis. Qui fieri potest ut dicat, eos *uno* solum loco a se inuicem discrepare, non liquet.

σφοδρότητα καὶ ῥύμην τῇ διεξελάσει διδόντος, αἱ δὲ ἐκ βραχέος ἀφέσεις ἄπρακτοι καὶ ἀμβλεῖαι, καθάπερ βελῶν τάσιν οὐ λαβόντων. ὃ δὴ καὶ τότε τοῖς βαρβάροις ἀπήντα· καὶ τὰ πρῶτα τῶν ἁρμάτων ἀργῶς ἐξελαυνόμενα καὶ προσπίπτοντα νωθρῶς ἐκκρούσαντες οἱ Ῥωμαῖοι μετὰ κρότου καὶ γέλωτος ἄλλα ἤτουν ὥςπερ εἰώθασιν ἐν ταῖς θεατρικαῖς ἱπποδρομίαις."

App. 42 de quadrigis uel curribus etiam loquitur, sed aliter [1]).

Tum Plut. 17 tradit, duos Chaeronenses uiros, Homoloichum et Anaxidamum, uenisse dicentes, se callem, barbaris ignotum, indicare posse, quo accessuros atque inde facto impetu hostes aut saxis obruturos aut in planitiem depulsuros. Quam rem Sulla Gabinio his uiris testimonium fortitudinis fideique ferente adgredi iussit.

E cap. 18 init. adparet, hostes eo modo re uera circumdatos esse, quo facto „θόρυβος ἦν πολὺς καὶ φυγὴ τῶν βαρβάρων καὶ φόνος ὑπ' ἀλλήλων ὁ πλεῖος. οὐ γὰρ ὑπέμειναν, ἀλλὰ κατὰ πρανοῦς φερόμενοι τοῖς τε δόρασι περιέπιπτον αὐτοὶ τοῖς ἑαυτῶν καὶ κατεκρήμνιζον ὠθοῦντες ἀλλήλους, ἄνωθεν ἐπικειμένων τῶν πολεμίων καὶ τὰ γυμνὰ παιόντων, ὥςε τρισχιλίους πεσεῖν περὶ τὸ Θούριον."

Etiam silet Appianus de tropaeis, quae Sulla, ne uictoriae memoria euanesceret, exegerit (Plut. 19 extr.). Altero autem inscripsit tropaeo: „Ἄρῃ καὶ Νίκην καὶ Ἀφροδίτην ὡς οὐχ ἧττον εὐτυχίᾳ κατορθώσας ἢ δεινότητι καὶ δυνάμει τὸν πόλεμον."

Alterum tropaeum in uertice posuit Thurii de circumdatis ibi barbaris γράμμασιν Ἑλληνικοῖς ἐπισημαῖνον Ὁμολόϊχον καὶ Ἀναξίδαμον ἀριςεῖς.

---

[1]) Verisimiliter App. per *ἅρματα* intellegit *δρεπανηφόρα*, quod tamen ultro adfirmare, sicut Lely p. 8, non ausim.

Denique diligenter Plutarchus naturam loci describit, de qua Appianus nihil prope habet.

App. 45 tradit, ad euentum pugnae plurimum contulisse prudentiam Sullae et inconsiderantiam Archelai. Addit, Sullam spolia inutilia deis belli praesidibus cremasse: „τοῦτο μὲν δὴ Σύλλᾳ καὶ Ἀρχελάῳ τῆς περὶ Χαιρώνειαν μάχης τέλος ἦν, δι' εὐβουλίαν δὴ μάλιϛα Σύλλα, δι' ἀφροσύνην Ἀρχελάου τοιόνδε ἑκατέρῳ γενόμενον. Σύλλας δὲ τὰ μὲν ἀχρεῖα σωρευθέντα, διαζωσάμενος ὡς ἔθος ἐϛὶ Ρωμαίοις, αὐτὸς ἐνέπρησε τοῖς ἐνυαλίοις θεοῖς."

Restat, ut de fonte App. *Mithr.* 41—45 dicam, qua de re iterum Iordano non adsentior, libros Liuii fontem habenti [1]).

Videamus de App. *Mithr.* 45—50 (cf. p. 59 sq.).

Posidon. Rhod. *ap. Athen.* Lib. VI. p. 266 e, f [2]) „Νικόλαος δ' ὁ Περιπατητικὸς καὶ Ποσειδώνιος ὁ Στωικὸς ἐν ταῖς Ἱϛορίαις, ἑκάτερος τοὺς Χίους φησὶν ἐξανδραποδισθέντας ὑπὸ Μιθραδάτου τοῦ Καππάδοκος παραδοθῆναι τοῖς ἰδίοις δούλοις δεδεμένους, ἵν' εἰς τὴν Κόλχων γῆν κατοικισθῶσιν."

Liv. per. LXXXII. „(Sulla) renouato deinde bello iterum exercitum regis fudit ac deleuit. Praeterea expugnatae in Asia urbes a Mithradate et crudeliter direpta prouincia referuntur."

Eutrop. V. 6. „hac pugna (apud Chaeroneam) Mithradates cognita septuaginta milia lectissima ex Asia Archelao misit, contra quem iterum Sulla commisit. Primo proelio quindecim milia hostium interfecta sunt, et filius Archelai Diogenes. Secundo omnes Mithradatis copiae exstinctae sunt. Archelaus ipse triduo nudus in paludibus latuit."

Oros. VI. 2. „Comperta clade (Chaeronensi) Mithradates

---

[1]) Iordan., p. 41—43.

[2]) Athen. *Deipnosoph.*, ed. Schwgh., Tom. II. p. 521. Cf. Mueller, *fg. H. Gr.* Vol. III. p. 265.

lectissima septuaginta milia militum Archelao in subsidium misit ex Asia. Secundo praelio (ad Orchomenum commisso) quindecim milia ex his interfecta sunt ibique Diogenes Archelai filius trucidatus est. Tertio belle omnes copiae, quas Archelaus habebat, exstinctae sunt. Nam uiginti milia militum eius in paludem pulsa, cum Sullae fidem inplorarent, insatiabili uictoris ira interfecta sunt totidemque alia in flumen coacta ac necata, reliqui miserorum passim trucidati sunt.

Porro autem Mithradates in Asia nobilissimarum urbium principes occidere bonaque eorum publicare animo intenderat cumque iam mile et sexcentos ita interfecisset, Ephesii exemplum uerentes exclusoque praesidio eius portas obiecerunt. Similiter Smyrnaei, Colophonii, Trallianique fecerunt [1])."

---

De Plut. 20 et 21 et App. 45—50, inter sese conparatis, haec in medium proferenda sunt. Multus est Appianus, antequam de ipso proelio agit, in narrandis atrocibus rebus, quae diuersis Asiae urbibus ac praesertim Chiis acciderint, de quibus omnibus apud Plutarchum nullus sermo est. Hic fuse locum describit, quod quidem in Plutarcho, regionis eius indigena et incola, nemo miretur, qualibus uero ornamentis Appiani narratio omnino caret. Quod adtinet ad pugnam ipsam, in ea memoranda inter sese conspirant.

Iam in fontem App. 45—50 inquirentes, uideamus, quibusnam argumentis nitens, Iordanus Liuium auctorem habeat [2]):

---

[1]) Cf. Mommsen, *R. G.*, II. p. 294, *not.*

[2]) Iordan., p. 43—47.

1. Iordanus citat Liv. per. LXXXII.

2. Citat Granium Licinianum ed. Bonn. p. 33 („filium Archelai adpellat Diogenem etiam Granius Licinianus").

3. Orosius cum Appiano consentit.

a) De numero caesorum.

App. 49 extr.

„Καὶ τῶν πολεμίων ἀπώλοντο μὲν ἀμφὶ τοὺς μυρίους καὶ πεντακισχιλίους. καὶ τούτων ἦσαν οἱ μύριοι ἱππεῖς μάλιστα· καὶ σὺν αὐτοῖς ὁ παῖς Ἀρχελάου Διογένης."

Oros. l.l.

„*Quindecim milia* ex his interfecta sunt ibique *Diogenes Archelai filius* trucidatus est."

b) Uterque narrat, primos defecisse Ephesios. „App. 48 Trallianos, Hypaepenos, Mesopolitas adpellat καί τινας ἄλλους, in quibus fortasse sunt caeterae Orosii urbes, Smyrnaei, Sardi, Colophonii." „App. 48 extr. „ἀμφὶ τοὺς χιλίους καὶ ἑξακοσίους." — Oros. „mile et sexcentos."

4. Eutropius cum Appiano consentit.

a) De numero caesorum: „primo proelio quindecim milia hostium interfecta sunt et filius Archelai Diogenes."

b) App. 50. Ἀρχέλαος δ' ἐν ἕλει τινὶ ἐκρύφθη." Eutrop. „Archelaus triduo nudus in paludibus latuit."

5. Frontinus cum Appiano consentit.

a) In citanda adhortatione Sullae ad milites:

App. 49. „εἴ τις ὑμῶν ὦ Ρωμαῖοι πύθοιτο ποῦ Σύλλαν τὸν στρατηγὸν ὑμῶν αὐτῶν προὐδώκατε· λέγειν ἐν Ὀρχομενῷ μαχόμενον."

Front. II. 8. 12 [1]). „Si quis quaesisset, ubi im-

[1]) Ed. II Oudendorp. L. B. 1779, p. 321.

peratorem reliquissent, responderent pugnantem in Boeotia."

Multo autem adcuratius Frontinus Iordano auctore cum Appiano congruit quam Plutarchus qui c. 21 habet: ἐμοὶ μὲν ἐνταῦθά που καλὸν ὦ Ρωμαῖοι τελευτᾶν, ὑμεῖς δὲ τοῖς πυνθανομένοις ποῦ προδεδώκατε τὸν αὐτοκράτορα μεμνημένοι φράζειν, ὡς ἐν Ὀρχομενῷ."

b) Front. II. 3. 17 [1]) narrans, a militibus Sullanis in utroque aciei latere fossas esse ductas amplae latitudinis. App. 49. „ὤρυσσε τάφρους εὖρος δέκα πόδας."

Subinde omittendi sunt Liv. per. LXXXII, qui ne locum quidem, ubi pugnatum sit, indicat et Granius Licinianus, de quo Iordanus ipse dicit: „adhuc nescimus, e quibus Granius hauserit fontibus [2])."

Supersunt: 1. Eutropius et Orosius, cum quibus App. de numero conuenit caesorum ac de quibusdam aliis.

2. Frontinus qui habet: „pugnantem in Boeotia" Appiano tradente: „ἐν Ὀρχομενῷ μαχόμενον." Idem Frontinus qui dicit: „fossas esse ductas amplae latitudinis" (εὖρος δέκα πόδας App.).

Quae uero contra Iordani sententiam adferenda mihi uidentur haec sunt:

1. De numero militum, quos Mithradates post Chaeronensem pugnam in Graeciam mittit, Plutarchus et Appianus consentiunt.

Adfert enim uterque ὀκτὼ μυριάδας (App. 49. Plut. 20). Eutropius et Orosius contra habent LXX milia. Dissentit igitur Appianus hac in re a Liuio.

---

[1]) Ed. Oudend. p. 219.

[2]) Iordan., p. 43. — Cf. Kiewiet de Jonge, p. 100.

2. Maioris certe momenti est quod dicendum est de Appiano et Frontino inter se conparatis.

Frontinus annalibus Liuii usus esse uidetur [1]). Iordanus Frontinum inter eos qui Liuium usurpauerint numerans [2]) addit: „horum igitur opera adcuratissime cum Appiano conferenda sunt, ut intellegamus quae auctor noster e Liuio hauserit" [3]). Si uero adcuratissime Frontinum II. 3. 17, ubi de proelio ad Orchomenum agit, cum App. 49, 50 conparauerimus, nullam re uera inter eos cernimus similitudinem.

Nam id, quod p. 81 sub a) et p. 82 sub b) adtuli, pro minima tantum parte cum Appiano congruit; ἐν Ὀρχομενῷ non idem est atque in Boeotia; ampla latitudo non idem ac δέκα πόδες.

Iordanus hunc locum nequaquam neglegendum esse dicit. *Immo haud neglegendum est, omnia, quae Frontinus de pugna ipsa adfert, ab Appiani descriptione plane discrepare.* Qua de re Iordanus ipse nobis iam adsentitur [4]). Unde igitur quae Frontinus, unde quae Appianus tradit? Si Liuius fons est Frontini, non est Appiani; si est Appiani, non est Frontini.

At Frontinus sine dubio e Liuio hausit (Iordan., p. 31): *ergo fons Appiani in pugna ad Orchomenum narranda non fuerunt Liuii annales.*

3. Appianus defectionem urbium et uexationes, quae inde secutae sunt, narrat 46, 47, 48, i. e. inter pugnam Chaeronensem et pugnam Orchomeniam (cf. p. 59 sq.).

Liv. per. LXXXII uero illas res prodit demum post pugnam apud Orchomenum commissam, immo postea-

---

[1]) Koehler, p. 42 sqq. — Cf. Kiewiet de Jonge, l.l.

[2]) Iordan., p. 31.

[3]) Iordan., p. 32.

[4]) Iordan., p. 46 sq.

quam iam Archelaus cum classe regia Sullae se tradidit.

Hunc dissensum Iordanus quoque memorans non tamen grauissimum ducit, „nam quanti", inquit, „Appianus aestimet chronologiam, ipse profitetur in prooemio § 13" [1].

Quod ad socordiam Appiani in rebus chronologicis adtinet, confestim concedo, eam non solum ex eius praefatione, uerum etiam e pluribus aliis locis adparere, qua de re supra iam fusius disputaui [2], sed hoc loco aliud quid est.

Credo nempe, Appianum ordinem rerum recte seruasse, Liuii periocham perperam.

Mithradates accepto cladis Chaeronensis nuntio iracundia inflammatus sed nondum de suis rebus desperans bellum aduersus Sullam summa ui de integro conparare in animo habet, sed ratus non defore, qui sibi uicto uel nunc uel postea insidias structuri essent nullumque eorum, quos suspectos haberet, in fide mansurum, si Sulla aduenisset, crudelissime urbes Asiae uexat, insulas maris Aegaei populatur, multos, in quibus Gallograecorum tetrarchas, cum liberis et uxoribus necat. Tum nouas copias, quas interea conparauerat, in Graeciam mittit Dorylao duce. Quibus tamen ad Orchemenum etiam profligatis Mithradates reputans, quantam hominum multitudinem ab initio inde belli in Graeciam misisset et quam breui tempore tantas tamque continuas iacturas fecisset, intellexit, sibi nihil aliud superesse, nisi quam celerrime finem bello inponeret. (cf. App. *Mithr.* 54 init.).

Hoc ex ipsa rei sequitur natura et cum rerum successione multo magis conuenit quam quod in periocha legimus, Mithradatem urbes et insulas sibi infensas, Sullae igitur amicas, uexasse et populatum esse post alteram

---

[1]) Iordan., p. 44.
[2]) Cf. prooem. p. 7.

cladem ac postquam Archelaus se iam tradidisset Romanis. Quam bonas tunc conditiones a Sulla exspectare potuisset.

*Appianus igitur sua ad defectionem illam pertinentia non e Liuio hausit.*

P. 80 uidimus, inter Appianum et Plutarchum consensum esse in pugna ad Orchomenum narranda; uerum haud adfirmare ausim, Appianum perinde ac Plutarchum Sullae adhibuisse commentarios.

Congruit quidem App. 49 cum Plut. 20; 21 uel de singulis rebus; u. c.

Plut. *Sull.* 20.

„ὅμως δὲ θάρσος τι τῷ Ἀρχελάῳ παρεῖχεν ὁ πρὸς Ὀρχομενῷ τόπος, ἐν ᾧ κατεστρατοπέδευσαν, εὐφυέστατος ὢν ἱπποκρατοῦσιν ἐναγωνίσασθαι."

Id. 21.

„ἐπεὶ δὲ ἐγγὺς κατεστρατοπέδευσαν, ὁ μὲν Ἀρχέλαος ἡσύχαζεν, ὁ δὲ Σύλλας ὤρυττε τάφρους ἑκατέρωθεν, ὅπως, εἰ δύναιτο, τῶν στερεῶν καὶ ἱππασίμων ἀποτεμόμενος τοὺς πολεμίους ὥσειεν εἰς τὰ ἕλη. τῶν δὲ οὐκ ἀνασχομένων, ἀλλ' ὡς ἀφείθησαν ὑπὸ τῶν στρατηγῶν, ἐντόνως καὶ ῥύδην ἐλαυνόντων, οὐ μόνον οἱ περὶ τὰ ἔργα τοῦ Σύλλα διεσκεδάσθησαν, ἀλλὰ καὶ τοῦ παρατεταγμένου συνεχύθη τὸ πλεῖστον φυγόντος. ἔνθα δὴ Σύλ-

App. *Mithr.* 49.

„ὁ δὲ Σύλλας ἀντεστρατοπέδευε μὲν Ἀρχελάῳ περὶ Ὀρχομενόν. ὡς δὲ εἶδε τῆς ἐπελθούσης ἵππου τὸ πλῆθος, ὤρυσσε τάφρους πολλὰς ἀνὰ τὸ πεδίον εὖρος δέκα πόδας· καὶ ἐπιόντος αὐτῷ τοῦ Ἀρχελάου ἀντιπαρέταξεν.

ἀσθενῶς δὲ τῶν Ρωμαίων διὰ δέος τῆς ἵππου μαχομένων, ἐς πολὺ μὲν αὐτοὺς παριππεύων παρεκάλει καὶ ἐπέσπερχε σὺν ἀπειλῇ· οὐκ ἐπιστρέφων δ' αὐτοὺς ἐς τὸ ἔργον οὐδ' ὡς, ἐξήλατο τοῦ ἵππου καὶ σημεῖον ἁρπάσας ἀνὰ τὸ μεταίχμιον ἔθει μετὰ τῶν ὑπασπιστῶν, κεκραγώς· εἴ τις ὑμῶν κτέ."

λας αὐτὸς ἀποπηδήσας τοῦ ἵππου καὶ σημεῖον ἀναρπάσας ὠθεῖτο διὰ τῶν φευγόντων εἰς τοὺς πολεμίους, βοῶν· ἐμοὶ μὲν κτέ."

Tali autem modo iam saepius Appianum et Plutarchum inter se consentientes deprehendimus. Quae uero etsi ita sese habent, tamen cum et in grauissimis rebus commemorandis alterum ab altero plane discrepantem inueneri-mus et frustra apud Appianum eas quaesiuerimus res, quas Plutarchus aperte e Sulla hausit, persuasum mihi est, Appianum neque Sullam neque Plutarchum ipsum usurpasse.

In summa: APPIANUS *Mithr.* 30—40 Posidonio usus esse uidetur. Argumenta desunt, quibus nixi Liuium fontem habeamus APPIANI *Mithr.* 41—45. Tandem Liuius nullo modo ab APPIANO adhibitus est *Mithr.* 45—50. Nihilo magis Plutarchus uel Sulla ei hisce locis auctores fuerunt. Mihi autem *Mithr.* 41—50 ex eodem fonte fluxisse uidentur ac *Mithr.* 30—40.

Caeteris enim scriptoribus de Chiis, a Mithradate in seruitutem missis, tacentibus Appianus unus historiam plene narrat, quam breuissime e Nicolao Damasceno et e Posidonio Rhodio [1]) citatam apud Athenaeum legimus. Locus Appiani est *Mithr.* 46, 47; locus Athenaei VI. p. 266 e, f (uid. p. 79). E loco Appiani solum adferam haec uerba: APP. 47 extr. „ἀνάσπαστοι δ' ἐς Μιθραδάτην γενόμενοι διεπέμφθησαν ἐς τὸν Πόντον τὸν Εὔξεινον. καὶ Χῖοι μὲν ὧδε ἐπεπράχεσαν" [2]).

---

[1]) Posidonium in operibus suis historicis Romanam historiam copiose tractasse, e fragmentis adparet. Cf. MUELLER, *fg. H. Gr.* Vol. III. p. 255, 261, 265, 266, 270 sqq. Praeterea cf. BAKE, *Posidonii rell.* p. 169—175.

[2]) Vitiosum ἐπεπράχεσαν. Emendauit VAN HERWERDEN, *lec-*

Cum quibus Appiani uerbis conferamus locum Athenaei: „ἑκάτερος (Nicolaus Damascenus et Posidonius Rhodius) τοὺς Χίους φησὶν ἐξανδραποδισθέντας ὑπὸ Μιθραδάτου τοῦ Καππάδοκος παραδοθῆναι τοῖς ἰδίοις δούλοις δεδεμένους, ἵν' εἰς τὴν Κόλχων γῆν κατοικισθῶσιν."

---

## § 3.

### E quibusnam sua repetiuerint scriptoribus Plutarchus et Appianus, uitae factorumque Sullae in altera parte belli usque ad eius in Italiam reditum narratores, quaeritur.

PLUT. *Sull.* 22—26 = APP. *Mithr.* 51—63.

Plutarchus commentarios Sullae laudat cap. 23 [1]) ad refellendam criminationem eorum, qui autumauerant, apud Chaeroneam mala fide pugnatum fuisse, Aristionem tyrannum, amicum Mithradatis, inimicum uero Archelai ueneno sublatum fuisse ab ipso Sulla, ipsum Archelao in Euboea decem milia iugerum agri dedisse eumque populi Romani socium et amicum pronuntiasse. De morbo Sullae loquens Strabonem citat Plutarchus cap. 26 [2]).

---

*tiones Rheno-Traiectinae*. L. B. 1882, p. 128 litteram χ in γ mutando.

[1]) „*Περὶ μὲν οὖν τούτων αὐτὸς ὁ Σύλλας ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν ἀπολογεῖται.*"

[2]) „*Σύλλᾳ δὲ διατρίβοντι περὶ τὰς Ἀθήνας ἄλγημα ναρκῶδες μετὰ βάρους εἰς τοὺς πόδας ἐνέπεσεν, ὃ φησιν ὁ Στράβων ποδάγρας ψελλισμὸν εἶναι.*" Veri simile est, Strabonem hoc dixisse in opere, quod scripsit, antequam ad Geographias componendas se accingeret cuique titulus: *ὑπομνήματα ἱστορικά*. Est apud MUELLER., *fg. H. Gr.* Vol. III. p. 492, fragmentum eius operis septimum. Idem Strabo loquens de thermis in insula

Iam de App. *Mithr.* 51—63 uideamus (cf. p. 60—63).

App. 51.

„Φλάκκον, σκαιὸν ἐν ταῖς κολάσεσι καὶ φιλοκερδῆ ὁ στρατὸς ἅπας ἀπεστρέφετο.

Id. paullo ante:

„τῷ Φλάκκῳ συνεξῆλθεν ἑκὼν ἀπὸ τῆς βουλῆς ἀνὴρ πιθανὸς ἐς στρατηγίαν, ὄνομα Φιμβρίας."

Id. 51 extr.

„ὁ Φιμβρίας στρατηγικώτερος τοῦ Φλάκκου φαινόμενος αὐτοῖς καὶ φιλανθρωπότερος."

Liv. per. LXXXII.

„Flaccus, *propter auaritiam inuisus exercitui suo*, a Fimbria, *legato* ipsius, occisus est, et imperium ad Fimbriam translatum."

Verba igitur periochae, quamuis coarcta, eandem complectuntur sententiam. Minus tamen adcurate inter se conspirant in munere, quo Fimbria fungeretur, indicando: nam periocha eum *legatum* Flacci uocat, App. uero l.l. dicit „ἀπειροπολέμῳ δ' ὄντι τῷ Φλάκκῳ συνεξῆλθεν ἑκὼν — — Φιμβρίας" (cf. App. 52 med. (Φιμβρίας) ἰδιώτης αὐτὸς ὢν καὶ ὡς φίλῳ κελεύοντι (Φλάκκῳ) συνεληλυθώς). E Liuio Oros. VI. 2. etiam habet: „Fimbria Flaccum, cui *legatus* ierat, occidit." Item Auctor *de uir. ill.*: „Fimbria Flacco *legatus* in Asiam profectus."

Similiter porro tradunt Liv. per LXXXIII, App., Oros.

---

Euboea haec habet X. 1. 9. ed. Kramer. Vol. II. p. 337: „*ὑπέρκειται δὲ τῆς τῶν Χαλκιδέων πόλεως τὸ Δηλαντον καλούμενον πεδίον. ἐν δὲ τούτῳ θερμῶν τε ὑδάτων εἰσὶν ἐκβολαὶ πρὸς θεραπείαν νόσων εὐφυεῖς, οἷς ἐχρήσατο καὶ Σύλλας Κορνήλιος, ὁ τῶν Ρωμαίων ἡγεμών.*" De morbo ipso nihil addit. Caeterum Aedepsi (cf. p. 58) ter mentionem facit Strab. prol. I, 3. 20. ed. Kram. Vol. I. p. 92; IX. 4. 2. Vol. II. p. 285; X. 1. 3. Vol. II. p. 333.

l.l. uictoriam Fimbriae, expugnationem Pergami, pericula, in quibus Mithradates uersatus fuerit, uastationem Ilii.

Quod adtinet ad Palladium, secundum App. *Mithr.* 53 „νομίζουσί τινες εὑρεθῆναι τότε ἄθραυςον, τῶν ἐπιπεσόντων τειχῶν αὐτὸ περικαλυψάντων." Sed addit, hoc fieri non potuisse, nam „Διομήδης αὐτὸ καὶ Ὀδυσσεὺς ἐν τῷ Τρωϊκῷ ἔργῳ μετήνεγκαν ἐξ Ἰλίου [1])."

Veri simile est, Liuium hoc prodigium etiam commemorasse, namque Iulius Obsequens, qui in libello „de Prodigiis" omnia portenta ac monstra Liuiana conlegit, dicit (c. 116), inter ruinas deflagrati templi Mineruae simulacrum illud stetisse inuiolatum. Cum autem id prodigium nude narret, credo, eum sic quoque apud Liuium rem inuenisse proditam. „Confirmatur", dicit Iordanus [2]), „mea sententia (Liuium fontem fuisse Appiano) loco Iulii Obsequentis." Recte: unum tantum interest inter id, quod narrat uterque: Liuius prodigium factum esse credit, Appianus non credit.

Auctor *de uir. ill.* 76 hoc prodigium nondum satis mirabile existimat. Apud eum non Palladium solum, sed totum Mineruae templum inuiolatum stetit, quod factum esse diuina maiestate adfirmat.

„τάδε μὲν δὴ", pergit App. 53. extr., „Φιμβρίας ἐς Ἴλιον εἰργάζετο, ληγούσης ἄρτι τῆς τρίτης καὶ ἑβδομηκοςῆς καὶ ἑκατοςῆς Ὀλυμπιάδος. καί τινες ἡγοῦνται τὸ πάθος αὐτῇ τόδε μετ' Ἀγαμέμνονα χιλίοις καὶ πεντήκοντα ἔτεσι γενέσθαι μάλιςα."

---

[1]) App. adpellat simulacrum: „*τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἕδος, ὃ Παλλάδιον καλοῦσιν.*" Hunc (*ἕδος* = *ἄγαλμα*) non esse usitatum sensum unusquisque nouit. Sed apud alios etiam sic usurpatur cff. Xen. *Hell.* I, 4, 12. — Plut. *Pericl.* 13; *Sol.* 12. — Dionys. *Antiq.* I, 47; III, 69. — Paus. VIII, 48, 1. Praeterea ne quis dubitaret App. *ἕδος* per *Παλλάδιον* interpretatus est.

[2]) Iordan., p. 49, ubi etiam Augustin., *de ciu. dei* III. 7 ad suam opinionem comprobandam adfert.

Hoc praue indicatum esse manifestum est [1]). Ita enim Troia diruta esset ab Agamemnone 1134 a. C. n., quare merito Iordanus conicit, pro πεντήκοντα legendum esse ἑκατόν [2]).

App. 52.

„(ὁ δὲ Φιμβρίας) αὐτόν τε βασιλέα συνεδίωξεν ἐς τὸ Πέργαμον· καὶ ἐς Πιτάνην ἐκ τοῦ Περγάμου διαφυγόντα ἐπελθὼν ἀπετάφρευεν."

Oros. I.I.

„(Fimbria) stationem regis inuadit *ipsumque Pergamo pellit fugientemque inseculus apud Pitanam* obsedit."

App. 55 extr.

„καὶ Σύλλας τὴν ἐν τοσῷδε ἀργίαν διατιθέμενος Ἐνετοὺς καὶ Δαρδανέας καὶ Σιντοὺς ἐπιὼν ἐπόρθει."

Eutrop. V. 7.

„Interim eo tempore Sulla etiam Dardanos, Scordiscos, Dalmatas et Maedos partim uicit, alios in fidem accepit; sed cum legati a rege Mithradate, qui pacem petebant, uenissent."

Id. 56 init.

„ἐλθόντων δὲ τῶν Μιθραδάτου πρέσβεων."

---

[1]) Hoc unum testimonium e pluribus est, Appianum chronologiam non curare. Haud uero idem dicendum esse de App. 46, 47, 48 iam p. 83 sq. exposui. Vidimus, opinionem Iordani esse, res eis quoque locis ab Appiano inuerso ordine esse narratas, epitomatorem autem Liuii defectionem urbium recte post pugnam ad Orchomenum tradidisse. Hoc uero loco iterum per. LXXXII conferens cum App. 54, dicit Iordanus p. 51 ad uerba „Archelaus cum classe regia Sullae se tradidit": „notandus est error eius, qui periochas conscripsit; tradita enim est classis regia pace demum confecta." Ita, classis traditur demum postquam de pace pepigerant (App. 55); uerum quare, cum hic epitomator in errore uersetur, negat Iordanus, idem ualere de expugnatis a rege in Asia urbibus?

[2]) Iordan., p. 50 not. 3.

| App. 60. | Liv. per. LXXXIII. | Aucr. *de uir. ill.* 70. | Oros. I. I. |
|---|---|---|---|
| „ὁ δὲ (Φιμβρίας) ἐπανῆλθεν ἐς Πέργαμον καὶ ἐς τὸ τοῦ Ἀσκληπιοῦ ἱερὸν παρελθὼν ἐχρήσατο τῷ ξίφει. οὐ καιρίου δ' αὐτῷ τῆς πληγῆς γενομένης ἐκέλευσε τὸν παῖδα ἐπερεῖσαι. ὁ δὲ καὶ τὸν δεσπότην ἔκτεινε καὶ αὐτὸν ἐπὶ τῷ δεσπότῃ [1])." | „Fimbria desertus ab exercitu, qui ad Sullam transierat, ipse se percussit inpetrauitque a seruo suo, praebens ceruicem, ut se occideret." | „Fimbria — a Sulla Pergami obsessus corrupto exercitu desertus semet occidit." | „Idem Fimbria apud Thyatira cum ab exercitu Sullae obsideretur, desperatione adactus, in templo Aesculapii manu sua interfectus est." |

E breuibus adnotationibus in periocha LXXXIII et apud Eutrop. V. 7 de pacis conditionibus nihil conligi potest.

1. Pugnat quodammodo App. 51 cum Liuio. Nam periocha itemque Orosius et Auctor de uir. ill. Fimbriam *legatum* Flacci fuisse commemorant Appiano tradente, Fimbriam, *hominem priuatum*, *sponte sua* consulem esse comitatum.

2. Magis uero App. 54—56 dissentit ab Eutrop. V. 7. Hic enim narrat, Mithradatem adlato nuntio proelii, quod Sulla iterum contra Archelaum commisisset (i. e. ad Orchomenum), cum Sulla de pace agi iussisse. Interim Sulla Dardanos, Scordiscos, alios subegit. Quibus rebus gestis legati a rege ad pacem petendam ueniunt.

Eis Sulla respondit, nullo pacto se pacem daturum, nisi rex omnibus quae occupasset relictis ad regnum suum redisset.

---

[1]) Cf. Strabo XIII. 1. 27, ed. Kram. uol. III. p. 23 sq.

App. 54 tradit, Mithradatem cladis Orchomeniae nuntio audito Archelao per litteras mandasse, ut iustis conditionibus cum Sulla pacem faceret. Tum Archelaus et Sulla ad conloquium congrediuntur.

Id. 55. Sulla conditiones suas dicit. Archelaus praesidia deducit (quod Sulla postulauerat) omnibus locis ac de caeteris conditionibus ad Mithradatem perscribit. Interim Sulla Dardanos, caeteros uicit regionesque eorum populatus est.

Id. 56. Legati a rege ueniunt non uero ad pacem petendam, sicut Eutropius narrat (hoc enim Archelaus iam fecerat), sed ad probandas uel non probandas conditiones, quas Sulla proposuisset. Probant autem omnia. Solam excipiunt Paphlagoniam adiciuntque, regem aequiores inpetraturum conditiones a Fimbria.

Tum Sulla, haud ut apud Eutropium, respondit, se non aliter daturum pacem, nisi rex omnibus quae expugnauisset relictis ad regnum redisset suum; uerum Sulla indignatus conlatione ista respondit, et Fimbriam poenas daturum, et se ipsum quam primum in Asia praesentem uisurum, pacemne an bellum cuperet Mithradates.

Iordanus [1]) ad App. 56 „legati a Mithradate ad Sullam mittuntur. Romani in Asiam transeunt" dicit: „huius legationis Liuius mentionem fecerat; dicit enim Eutropius: „sed cum legati a rege Mithradate, qui pacem petebant, uenissent."

Arbitratur ergo, Appianum haec e Liuio hausisse.

3. Tertium est quae App. et Iulius Obsequens de Palladio memoriae tradiderunt. De quo iam satis uidimus, cf. p. 89.

4. In excessu Fimbriae narrando Liuius, Appianus, Auctor de uir. ill., Orosius de singulis discrepant.

---

[1]) Iordan., p. 52.

Liv. per. l.l. locum non indicat.

App. 60 Pergami in templo Aesculapii Fimbriam semet interficere conatum esse dicit.

Auct. *de uir. ill.* etiam Pergami id factum esse testatur.

Oros. l.l. dicit, Fimbriam mortem sibi conscisse Thyatirae in templo Aesculapii.

Strictim addam, Plut. *Sull.* 25 tradere, Fimbriam morte periisse uoluntaria *Thyatirae in castris.*

5. Tandem uulnus non fuisse letale, quare dominus a seruo ut se occideret inpetrauerit, eodem modo Liuius et Appianus commemorant. Unus uero Appianus addit, seruum tum quoque se ipsum interfecisse (ὁ δὲ καὶ τὸν δεσπότην ἔκτεινε καὶ αὐτὸν ἐπὶ τῷ δεσπότῃ).

Quae omnia me ducunt, ut haud ueri simile arbitrer, App. *Mithr.* 51—63 e Liuio fluxisse.

Conferamus tandem App. *Mithr.* 51—60 cum Plut. *Sull.* 22—25.

Agunt quidem de eadem re, nempe de pace a Sulla cum Mithradate composita, sed iam initio capitis 22 Plutarchus ab Appiano differt.

Plut. narrat, Metellam, Sullae uxorem, furtim Roma relicta cum liberis in Graeciam uenisse; marito adnuntiasse, domum eius et uillas ab inimicis incensas esse, atque uti rebus subueniret domesticis orasse. Tum ad Sullam, incertum animi, cum neque patriam destituere uellet, neque rationem inueniret bello Mithradatico non confecto discedendi, Deliacum quendam mercatorem Archelaum uenisse, qui ab Archelao, regio duce, tales renuntiauerit sermones, ut in bonam spem Sulla deductus sit. Quam primum cum ipso Archelao conloqui uelle se Sulla respondit. Et conuenerunt apud Delium prope mare, ubi Apollinis fanum est.

Plutarcho igitur auctore Archelaus sua sponte agit et quidem furtim (κρύφα).

App. 54 uero tradit, Archelaum cum Sulla conuenisse, postquam a rege accepisset litteras, in quibus sibi mandatum fuisset, ut quam honestissimis posset conditionibus cum Sulla pacem faceret.

Inter se consentiunt quidem in sequentibus: et apud Plutarchum, et apud Appianum Sulla Archelaum commonet, ut ipse sibi consulat sociusque atque amicus populi fiat Romani. Item apud utrumque Archelaus repudiauit atque abominatus est proditionem.

Sed quod in his quoque inter eos intercedit hoc est: apud Plutarchum ambiguas agit partes Archelaus uerbaque duplicia loquitur. Venit ad suum arbitrium ac furtim ad Sullam, qui eam ob causam nimirum cogitat, illum erga regem proditoris partes agere in animo habere. Attamen in propositum Sullae non consentit, proditionem repudiat, quare Sulla indignabundus: „tu ergo", inquit, „Cappadox cum sis, Archelae, et barbari regis seruus, me Romanum ducem et quidem Sullam audes de proditione adpellare." Haud ita Appianus, apud quem Archelaus non uenit proditor, sed regis nuntius; interrumpit Sullae orationem, repudiat tentationem negans, se unquam eum proditurum, qui sibi imperium copiarum commisisset. In hisce autem omnibus nihil mirandum est. Contra Plutarchus miras res prodit et quid omnino Archelaus uelit non intellegitur, nisi si meminerimus, Sullam, qui cunctas res suas in bonam partem accipi uoluit, in commentariis suis hanc quoque rem ita narrauisse.

Dein in conditionibus pacis commemorandis alter cum altero haud omnino conuenit (Plut. 22; App. 55).

Conloquium Sullae et Archelai habitum est apud Plutarchum *Deli* in oppido Boeotiae.

Apud App. 54 *nullus locus* indicatur. Nude dicit: „ὁ δὲ (Ἀρχέλαος) Σύλλᾳ συνελθὼν ἐς λόγους εἶπεν."

Paullo ante (51) refert quidem, Sullam Boeotiam diripuisse, sed tum in Thessaliam esse transgressum.

PLUT. 23 tradit: his ita constitutis Sulla per Thessaliam et Macedoniam ad Hellespontum perrexit una cum Archelao.

APP. 55: quibus auditis Archelaus praesidia statim omnibus locis deduxit ac de caeteris conditionibus ad regem suum perscripsit.

Praeterquam quod similiter responsum Mithradatis, a legatis adlatum, de Paphlagonia referunt („Παφλαγονίαν δὲ ἀξιούντων μὴ ἀφαιρεθῆναι" Plut. — „μόνην δ' ἐξαιρούμενοι Παφλαγονίαν" App.) *ordo rerum* apud utrumque nequaquam idem est, ut sileam de eis, quae App. de aequioribus conditionibus Fimbriae narrat, quas Plutarchus praetermittit, itemque de eis, quae Plutarchus legatis mandata fuisse de nauibus dicit („τὰς δὲ ναῦς οὐδὲ ὅλως ὁμολογηθῆναι"), quam conditionem uicissim Appianus ignorat.

Ordo rerum alius est, nam apud PLUTARCHUM Sulla primum cum Archelao ad Hellespontum perrexit, itinere uero interrupto Larisae mansit propter Archelaum, morbo periculoso conreptum. Ibi legati a Mithradate perueniunt, qui mandata referunt, sed territi Sullae responso obticuerunt. Tum Archelaus manum Sullae prensans atque lacrimans iram leniuit, tandemque ut ad Mithradatem ipse mitteretur persuasit. Quo misso Sulla in Maedicam [1]) inrupit populatusque regionem illam in Macedoniam rediit. Apud Philippos Archelaus eum conuenit nuntians, cupere omnino Mithradatem cum ipso conloqui. Addit PLUT., in causa fuisse Fimbriam, quem rex metuens cum Sulla

---

[1]) Item igitur atque EUTROP. V. 7, qui habet: „Dardanos, Scordiscos, Dalmatas et *Maedos*" et AUCT. *de uir. ill.* 75 „*Medos* et Dardanos."

amicitiam iungere maluerit [1]). Conuenerunt autem Dardani in Troade [2]).

Aliter Appianus: dum Archelaus ad regem perscribit de conditionibus, Sulla otio utitur et gentes Thraciae uincit (hoc apud Plut. Sulla facit Archelao ad regem misso et postquam legati iam a Mithradate reuerterunt). Legati redeunt et de pace agunt. Stomachatus Sulla de temeritate regis ac de conlatione cum Fimbria per Thraciam ad Cypsella duxit. Tum Sulla mouit Cypsellis, rex Pergamo, atque ita in conloquium conuenere.

Praeterea alio modo conloquuntur Sulla et Mithradates apud Plutarchum, alio modo apud Appianum.

App. 56 Mithradatem statim dicere ordientem facit, Plut. 24 primum tacentem et demum Sulla hortante loquentem. Porro Plut. breuiter quae uterque dixerit tradit, App. uero orationes ipsas scripto mandat [3]).

De Fimbria iam satis uidimus. Multus est App. hac in re; paucis omnia absoluit uerbis Plut. Differt hic ab illo de loco, ubi mortem sibi consciuerit (cf. p. 93). Pariter contra tradunt, Fimbriam a Sulla esse circumuallatum („τάφρον τῷ στρατοπέδῳ περιέβαλεν" Plut. 25. — „περιταφρεύοντος δ' αὐτὸν τοῦ Σύλλα" App. 59).

Tandem App. conspirat cum Plut. de thesauris, a Sulla e templis abductis [4]).

App. 61—63 fuse agit de castigatis Asiae urbibus, quod Plut. 25, 26 multo breuius exponit. Quae Plut. 26 de bibliotheca Appellicontis [5]) ac de Sullae morbo memoriae prodit, de eis apud Appianum silentium est.

---

[1]) Metuit igitur Mithradates Fimbriam; apud App. uero aequiores conditiones ab eo inpetraturus est.

[2]) Cf. Strab. XIII. 1. 28, ed. Kram., uol. III. p. 26.

[3]) Verisimiliter eas App. ipse confecit.

[4]) Cf. p. 71.

[5]) Strab. XIII. 1. 54, ed. Kram., uol. III. p. 51.

Satis autem mihi uideor ostendisse, Plutarchum et Appianum ex eodem fonte non hausisse. Nihilo igitur magis quam ad Liuium, ad Sullam redeunt quae App. *Mithr.* 51—63 tradidit.

Lely, p. 12, de hac belli parte dicit: „quanquam (Plut. et App.) *in multis conueniunt*, iam ex eo, quod *hic atque illic discrepant*, diuersi fontes arguuntur". Itaque mecum Lely consentit, alterum ex altero sua repetiuisse auctore. At minus recte dicit, Plutarchum et Appianum *in multis conuenire* inter se, *hic illic discrepare*. E contrario enim discrepant in multis, conueniunt hic illic.

Caeterum Lely mihi non probasse, quod p. 1 contendit, uitam Sullae pro maiore parte e Liuio haustam esse, ex eis, quae supra passim a me dicta sunt, patet. Iam uideamus de eius argumentis. Ipse in fine capitis I eis, quibus nititur, adlatis eam quidem iterans sententiam: „suspicor multa e Liuio in uitam Sullae manasse" (Lely p. 15) uerba sua iam mitigauit. Argumenta autem eius, quae mihi ualde infirma uidentur, haec sunt: 1. Liuius a Plutarcho laudatur, 2. Liuii de Sulla iudicium conuenit cum iudicio Plutarchi. Quorum duorum illud statim omittendum est, primum quia Plutarchus Liuium semel tantum citat (cf. p. 25 not. 3), deinde quoniam res, ad quam confirmandam eum laudat, leuioris momenti est (cf. Plut. *Sull.* 6), tum praesertim quia e Liuio, a Plutarcho semel citato, nullo modo conligendum est, Plutarchum in Vita Sullae tradenda Liuium secutum esse (cf. prooem. p. 5). Quod ad alterum adtinet, de eo mihi idem dicendum uidetur, quod Lely ipse de opinione E. Klebsii, *de scriptoribus aetatis Sullanae* 1876, dicit. Putat Klebsius, Liuium Plutarchi Vitae Sullae subesse, cum multis locis bene conueniat cum Appiano in Mithradaticis. De qua sententia Lely haec habet (p. 14): „Sed re prorsus incerta nititur, neque enim de fonte Appiani ita constat,

ut huic argumento fidem habere possimus. Ego quoque magnam Vitae Sullae partem e Liuio manasse suspicor, quanquam alias ob causas". Sequuntur eae causae, quae mihi haud minus quam causae Klebsii prorsus incertae uidentur. Ita enim Lely ratiocinatur: Liuius uehementissime carpit crudelitatem Sullae, quod liquet e laceris Liuii fragmentis (Val. Max. VI, 4, 4; VI, 8, 2; IX, 1, 5; IX, 2, 1. — Oros. VI, 2.); Plutarchus „per totam Vitam" (Lely, p. 13) inique de Sulla iudicat: ergo multa e Liuio in Vitam Sullae manarunt.

Mihi contra, hanc uitam perlegenti, semper ferme Sulla uidebatur a Plutarcho magnopere laudari, Marius et Sulpicius uituperari. Quam sententiam inlustraui p. 12, 17, 18, 20, 25, 34—43, 87, 94.

Praeterea cf. Plut. *comparationem Lysandri cum Sulla*, 4 init. (laudatur Sullae bellica uirtus): „Πολέμων δὲ ἀγῶσι καὶ στρατηγικαῖς πράξεσι καὶ πλήθει τροπαίων καὶ μεγέθει κινδύνων ἀσύγκριτος ὁ Σύλλας". Ibid. med.: „αὐτὴν δὲ τὴν Ρώμην δὶς εἶλε καὶ τὸν Πειραιᾶ τῶν Ἀθηνῶν οὐ λιμῷ καθάπερ Λύσανδρος, ἀλλὰ πολλοῖς ἀγῶσι καὶ μεγάλοις κατέσχεν". Ibid. extr.: „τῶν δὲ πρὸς Σύλλαν ἀνταραμένων δυναστῶν, ὑπάτων, στρατηγῶν, δημαγωγῶν, ἵνα τοὺς ἄλλους ἐάσω, τίς ἦν Ρωμαίων Μαρίου φοβερώτερος ἢ Μιθραδάτου βασιλέων δυνατώτερος ἢ Λαμπωνίου καί Τελεσίνου τῶν Ἰταλικῶν μαχιμώτερος; ὧν ἐκεῖνος τὸν μὲν ἐξέβαλε, τὸν δὲ ὑπέταξε, τοὺς δὲ ἀπέκτεινε".

Id. 5 init. (laudibus celebrantur eius fortitudo ac perseuerantia in arduis rebus): „τὸ δὲ πάντων μέγιστον, ὡς ἐγὼ νομίζω, τῶν εἰρημένων ἐκεῖνό ἐστιν, ὅτι Λύσανδρος μὲν κατώρθου πάντα τῶν οἴκοι συναγωνιζομένων, Σύλλας δὲ φυγὰς ὢν καὶ κατεστασιασμένος ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν, καθ' ὃν χρόνον ἠλαύνετο μὲν αὐτοῦ γυνή, κατεσκάπτετο δὲ οἰκία, φίλοι δὲ ἀπέθνησκον, αὐτὸς ἐν Βοιωτίᾳ ταῖς

ἀναριθμήτοις μυριάσι παρατασσόμενος καὶ κινδυνεύων ὑπὲρ τῆς πατρίδος ἴσῃ τρόπαιον." Ibid. extr. (praedicantur eius mansuetudo et clementia erga Athenienses): „ἐπὶ πᾶσι δὲ καὶ τὸ περὶ τὰς Ἀθήνας ἔχει τινὰ ροπὴν εἰς ἤθους σύγκρισιν· εἴγε Σύλλας μὲν ὑπὲρ τῆς Μιθραδάτου δυνάμεως καὶ ἡγεμονίας πολεμήσασαν αὐτῷ τὴν πόλιν ἑλὼν ἐλευθέραν ἀφῆκε καὶ αὐτόνομον, Λύσανδρος δὲ τοσαύτης ἡγεμονίας καὶ ἀρχῆς ἐκπεσοῦσαν οὐκ ὤκτειρεν, ἀλλὰ καὶ τὴν δημοκρατίαν ἀφελόμενος ὠμοτάτους αὐτῇ καὶ παρανόμους ἀπέδειξε τοὺς τυράννους".

Num haec iniqua de Sulla iudicia sunt?

---

Omnia autem illa e nullo alio manarunt, nisi e Sulla. Sunt iudicia, non Plutarchi de Sulla, sed Sullae de se ipso, quae Plutarchus ex eo descripsit.

Acumine enim prorsus ingenii carere Plutarchum, iudicium de quodam uiro facientem, iam prooem. p. 5 exposui. Quam ob rem prauum est quod Lely dicit p. 13: „per totam Vitam iniqua iudicia de Sulla inueniuntur". Perpauca iniqua, quae hic illic leguntur, aliunde sine dubio desumpta sunt. Qualibus locis Sallustius u. c. subesse potest, sicut etiam H. Peter, *die Quellen Plut.* p. 60 not. suspicatus est (cf. p. 120). Ipse Plutarchus, tale quid memorans, laudat Sallustium. Cf. *comparat. Lysandr. c. Sull.*, 3: „ὁ δὲ (Σύλλας) οὔτε νέος ὢν περὶ τὰς ἐπιθυμίας ἐμετρίαζε διὰ τὴν πενίαν οὔτε γηράσας διὰ τὴν ἡλικίαν, ἀλλὰ τοὺς περὶ γάμων καὶ σωφροσύνης εἰσηγεῖτο νόμους τοῖς πολίταις αὐτὸς ἐρῶν καὶ μοιχεύων, ὥς φησι Σαλλούστιος" [1]).

---

[1]) Ubinam hoc dixerit Sallustius ignoramus. Legimus quidem *Iug.* 95 nonnulla de Sullae natura et cultu. Docet ibi Sall. nos,

Qui locus, a Lely omissus, eis, quos p. 13 enumerat, addendus est.

Idem tandem, Liuium fontem habens, secum mirum in modum uidetur pugnare, ubi dicit (Lely p. 12 sq.): „saepissime commentarii laudantur, sunt tamen quaedam indicia, unde pateat Plutarchum *etiam alios scriptores* in promptu habuisse". Quid hisce uerbis demonstratur nisi Lely arbitrari, Plutarchum *et* ex aliis scriptoribus *et* e Sulla hausisse?

Paullo post citans locum Plutarchi, ubi Fenestella laudatur (uid. p. 74, p. 119 not. 4), dicit Lely (p. 13): „ergo *praeter Sullam* et Liuium etiam alios auctores inspexit". Num haec uerba apte conueniunt cum eo, quod Lely in dissertatione sua p. 1 sibi proposuerit contra Heerenum et Peterum demonstrare? Quae controuersia quomodo sit diiudicanda, equidem nescio.

---

Sullam fuisse cupidum uoluptatum, sed gloriae cupidiorem, otio fuisse luxurioso, tamen ab negotiis nunquam uoluptatem eum fuisse remoratam. De legibus uero, quas Sulla, ipse libidinosus et adulter, pertulerit nihil dicit. Cum autem SALL. addat, se alio loco de Sullae rebus non dicturum esse, quaestio sane fit difficillima.

# CAPUT V.

## QUOMODO SULLA PRINCIPATUM REI PUBLICAE ADQUISIVERIT IN BELLO CIVILI, ITERUM EXORTO, EXPONITUR.

### § 1.

**Recensentur quae Plutarchus et Appianus hac de re memoriae prodiderunt.**

PLUT. *Sull.* 27—38 = APP. *B. C.* I. 79—106.

PLUT. *Sull.* 27—38. Per Thessaliam et Macedoniam ad mare profectus, statuit Sulla mile et ducentis nauibus a Dyrrhachio traicere Brundusium. Cum metueret, ne milites adprehensa Italia ab ipso dilaberentur, primum ipsi iurarunt, ultro se cum Sulla mansuros. Tum Sulla eos tramisit contra quindecim hostiles duces cum quinquaginta et quingentis cohortibus. Breui post Marium Iuniorem et Norbanum consulem in Campania profligauit. Septem milibus caesis Norbanum Capuam conpulit atque inclusit. Seruus Pontii, Samnitum ducis, ad Sullam uenit, dicens, nisi maturaret, Capitolium statim incensum fore. Id quod eo quem dixerat die accidit, nimirum pridie Nonas Quintiles. M. Lucullus, unus e Sullae legatis, frater Luculli, qui postea Mithradatem et Tigranem in bello Mithradatico tertio uicit, apud Fidentiam cum sedecim cohortibus

superauit quinquaginta hostiles caesisque octodecim milibus castra etiam cepit.

Praeterea multa et uaria miracula Plutarchus hisce factis historicis innectit (27).

Sulla exercitum Scipionis [1]) consulis corrupit suisque copiis coniunxit. Scipio solus in tentorio deprehensus dimissusque est. Quibus factis Marius apud Signium, octoginta quinque cohortibus stipatus, Sullam ad proelium prouocauit. Propter diuersa incommoda centuriones Sullam, ut pugnam differret, orabant. Sulla inuitus concessit tamen ac locare castra iussit. Sed Marius primus omnium citato equo aduchitur Sullanos quasi dissipaturus. Hi tum, ira conrepti, gladiis strictis et clamore sublato cum hostibus manum conseruerunt. Mariani impetum eorum non sustinuere, sed effuse fugientes clade sunt adfecti. Marius fuga peruenit Praeneste. Sullae quoque legati, Pompeius, Crassus, Metellus, Seruilius, magnas hostium copias profligarunt. Carbo in Africam profugit (28).

---

[1]) Fuit L. Cornelius Scipio Asiagenus, pronepos illius Scipionis, qui apud Magnesiam Antiochum III debellauit atque inde cognomen duxit. Non uero constat, scribendumne sit hoc cognomen *Asiagenus* an *Asiaticus*. In Fastis scribitur *Asiaticus*, cf. MOMMSEN, *C. I. L.*, I. p. 439; 538 sq. In *Scipionum Elogiis* (MOMMS., *C. I. L.*, I. p. 12 sq.) cos. 190 uocatur Asiagenus, cos. 83 (de quo hic agitur) Asiaticus, filius huius (cf. p. 108) Asiagenus. Denarii, cusi ab anno 91 ad 84, habent L. SCIP ASIAG, nomen officinatoris monetae, cf. MOMMS. *Gesch. des röm. Munzwesens*, Berl. Weidm. 1860, p. 575. Quaestio oritur, utrum Scipio ille fuerit cos. 83, an filius eius. MOMMS. l.l. adn. 335 hunc uindicat contra CAVEDONI, *Saggio di osservazioni sulle medaglie di famiglie Romane*, Modena 1829, p. 42, qui credit, officinatorem eum Scipionem patrem fuisse (cf. MOMMS. *C. I. L.*, I. p. 135). — Cognomen uictoris ad Magnesiam est Asiagenus apud MOMMSEN, *R. G.*, I. p. 750 *not.* (ed. VII) et apud MOMMSEN, *Forsch.*, II. p. 419.

Sulla extremo certamine ante ipsas urbis portas Pontium Telesinum Samnitem ac Lamponium Lucanum prostrauit. Quo certamine nullum unquam fuit acrius, ac parum abfuit, quin ipse Sulla esset occisus. Sed Apollinem est comprecatus et reportauit uictoriam. Deinde urbem introiit senatumque in aedem conuocauit Bellonae. Simul autem et ipse dicere coepit, et trucidata sunt sex milia hominum captiuorum. Quod cernens non erat quisquam Romanus adeo stupidus, ut non intellegeret, tyrannidem esse translatam tantum, non sublatam: „ὡς ἀλλαγὴ τὸ χρῆμα τυραννίδος, οὐκ ἀπαλλαγὴ γέγονεν" (29; 30).

C. Metellus (uel secundum quosdam Fufidius, unus e Sullae adseclis) percontatus est Sullam in senatu, cum neque numero, neque termino contentae caedes urbem inplerent, ecquis tandem esset finis malorum futurus. Sullae respondenti, sibi nondum constare, quos necandos, quibus parcendum ducat, subiecit: „ergo quos interficere statueris indica." Quod Sulla se facturum promittens instituit proscriptiones. Statim proscripsit octoginta uiros, uno die interiecto ducentos et uiginti, tertio die rursus totidem. Neque Romae solum, sed per omnem Italiam homines proscribebantur. Non aedes deorum, non penates, non domus paternae purae a caedibus fuerunt; iugulabantur mariti coram uxoribus, coram matribus filii. Proscriptorum autem filios (id quod omnium iniustissimum erat) Sulla honoribus exclusit bonaque publicauit (31).

Marius morte uoluntaria periit [1]). Sulla Praeneste duodecim hominum milia interfici iussit (32).

Sulla dictatorem se ipsum constituit. Iussit Pompeium Magnum uxorem suam dimittere et in huius locum ducere Aemiliam. Erat haec Aemilia filia Scauri [2]) et Metellae,

---

[1]) Cf. PLUT. *Mar.* 46 extr.

[2]) Cf. p. 20 not. 6.

quartae Sullae coniugis [1]). Tunc autem nupta M'. Glabrioni et quidem praegnans adempta marito est Pompeioque coniuncta. Obiit uero paullo post apud Pompeium in partu.

Interficiendum curauit Sulla Lucretium Ofellam, consulatum petentem (33).

Triumpho splendido acto Sulla se Felicem [2]) cognominari iussit ob res tam prospere gestas. Ipse in litteris, quas in Graeciam mittebat, se Epaphroditum adpellabat. Addit Plutarchus, in tropaeis eius apud se scriptum esse: ΛΕΥΚΙΟΣ ΚΟΡΝΗΛΙΟΣ ΣΥΛΛΑΣ ΕΠΑΦΡΟΔΙΤΟΣ.

Peperit Metella gemellos, quibus Sulla nomen dedit, masculo Fausto, femellae Faustae [3]). Abdicauit se dictatura et potestatem concessit populo comitiorum consularium habendorum (34).

Sulla rei suae familiaris decimam partem Herculi consecrauit. Epula magnifica per plures dies producta populo exhibuit. Metella uxor ex morbo diem obiit supremum. Paucis post mensibus in spectaculo gladiatorum uidit Valeriam formae elegantis et familiae splendidae mulierem, Hortensii oratoris sororem, Messallae filiam [4]) eamque uxorem duxit (35).

---

[1]) Cf. p. 20. — DRUMANN, IV. p. 556 sq. et not. 55. 56.

[2]) PLUT. habet: „ἐκέλευσεν ἑαυτὸν Εὐτυχῆ προσαγορεύεσθαι. τοῦτο γὰρ ὁ Φῆλιξ μάλιστα βούλεται δηλοῦν." PLUT. igitur, Latinum uocabulum *felix* per εὐτυχὴς uertens, ante oculos habuit commentarios latine conscriptos. Cf. prooem. p. 2 not. 4.

[3]) Locus est: „ἔτι δὲ τῆς Μετέλλης παιδία τεκούσης δίδυμα, τὸ μὲν ἄρρεν Φαῦστον, τὸ δὲ θῆλυ Φαύστην ὠνόμασεν". Quibus uerbis haec addit „τὸ γὰρ εὐτυχὲς καὶ ἱλαρὸν Ῥωμαῖοι φαῦστον καλοῦσιν." Vertit igitur denuo Latinum uocabulum, cuius significationem Graecos lectores non intellegere existimat.

[4]) PLUT. l.l.: *Μεσσάλλα γὰρ ἦν θυγάτηρ, Ὀρτησίου δὲ τοῦ*

Nihilo minus Sullae commercium erat libidinosum cum histrionibus et citharistis et mimis. Quorum nomina a Plutarcho seruata sunt, nempe Metrobius histrio, Roscius comoedus, Sorex mimus. Quo factum est, ut ex uili causa ortum morbum aluerit totaque caro paullatim in pediculos abierit. Serui dies noctesque eos decutiebant, sed subinde plures enascebantur. Nihil quoque proficiebat, quod saepe in aquam descenderet, nam multitudo pediculorum omnem superabant purgationem. De hisce sordibus agens, citat Plutarchus nomina eorum, qui eodem morbo adfecti obierunt, et quidem ex antiquissimis Acastum Peliae filium, e posterioribus Alcmanem lyricum, Pherecydem theologum, Callisthenem Olynthium et Mucium iurisconsultum (36).

Plutarchus nobis auctor est, Sullam non modo mortem suam uaticinatum esse, sed et de ea scriptum reliquisse („ἀλλὰ τρόπον τινὰ καὶ γέγραφε περὶ αὐτῆς"). Biduo enim ante obitum finem fecit commentariis, uigesimum secundum librum scribens [1]).

Nihilo uero secius negotia publica tractauit. Nam decem antequam moreretur diebus seditiones Dicaearchiae [2]) sedauit.

Pridie quam succumberet, praetorem Granium, qui aes alienum grande debebat aerario, sed non persoluebat

---

*ῥήτορος ἀδελφή, Οὐαλλερία δὲ τοὔνομα.*" Turbat Plutarchus personas ac res. Hortensius enim orator sororem habuit Hortensiam, M. Valerio Messallae nuptam. Cf. DRUMANN, II. p. 508 not. 97; III. p. 78; p. 112. — Ingeniosa mihi uidetur lectio *ἀδελφιδῆ* pro *ἀδελφή*, quam nuperrime proposuit KIEWIET DE JONGE, p. 101, thes. IV. Qua recepta omnia sese recte habent.

[1]) Cf. Prooem. p. 2 et not. 3.

[2]) Dicaearchia erat urbs Campaniae, eadem ac Puteoli, hodie Pozzuoli. Cf. H. KIEPERT, *Atlas antiquus*, Berol. Reimer ed. VI, tab. VIII Dd; index p. 9 et 18.

mortem Sullae opperiens, ad sese uocauit et in cubiculo a famulis subfocari iussit. Clamore tum ab eo sublato Sulla distractione corporis cum ulcus rupisset, multum sanguinis eiecit.

Valeria post mortem eius filiam peperit, quae Postuma dicta est [1]). Romani enim (addit Plutarchus) adpellant postumos, qui post obitum patrum nascuntur (37).

Plerique, inter quos Lepidus, Sullam mortuum funeris ac honoris participem fieri prohibere conantur. Sed nihil efficiunt, nam Pompeius cadauer Romam deduxit et iusta fecit, quanquam solus ex amicis a Sulla in testamento omissus erat.

Monumentum Sullae in Campo Martio inscriptionem ab ipso conceptam tulit, cuius caput erat: „se neque beneficiis ab amico, neque maleficiis ab inimico superatum fuisse" (38) [2]).

App. *B. C.* I. 79 med. — 106. Sulla cum quinque legionibus Italicis et sex M. equitum, in uniuersum ducens circiter quadraginta uirorum milia, a Piraeo Patras et inde Brundusium traiecit classe M.DC. nauium. Mox cum uniuersis copiis contra urbem profectus est.

Occurrerunt ei in eo itinere Caecilius Metellus Pius, Cn. Pompeius, qui postea Magnus est cognominatus, et Cethegus. *Metellus*, ante aliquot annos ad belli socialis

---

[1]) De Postuma illa uid. Drumann, II. p. 512 sq. et not. 45.

[2]) Plut. l.l.: „ὡς οὔτε τῶν φίλων τις αὐτὸν εὖ ποιῶν οὔτε τῶν ἐχθρῶν κακῶς ὑπερεβάλετο." Paret igitur Sulla eidem humanitatis praecepto, cui Graeci parebant, apud quos omnis uitae ratio erat „γλυκὺν μὲν εἶναι φίλοις, ἐχθροῖς δὲ πικρόν." Cf. Eur. *Med.* 809: „βαρεῖαν ἐχθροῖς καὶ φίλοισιν εὐμενῆ." Id. *Ion.* 1046; *Herc. f.* 585. — Pind. *Pyth.* II. 151. — Plato unus aliter hac de re cogitauit, cf. Plat. *Rep.* p. 334 B sqq.; *Gorg.* p. 469 C; *Crit.* p. 49 B.

relliquias conficiendas missus, nomen adhuc ac dignitatem proconsulis retinens (durat enim honor semel adsumptus usque ad reditum in patriam) ultro se socium Sullae obtulit [1]). *Pompeius*, filius Pompei Strabonis, in bello sociali Rutilio additi legati et semper inimici Sullae [2]), in primis operam strenuam Sullae nauauit, quo factum est, ut abolita suspicione iuuenis Pompeius in eo maiore pretio esset apud Sullam, quo maiore in odio Pompeius pater fuisset. *Cethegus*, ex Marianorum factione antea Sullae inimicissimus et cum Mario Cinnaque Roma pulsus, tunc supplex se Sullae obtulit ad omnia.

His igitur auctus cum amicis ducibus, tum copiis, animo supra quam dici potest infensissimo tamen etiamnunc dissimulato, propius urbem proficiscebatur, utens legatis Pompeio ac Cethego, ipse uero pro consule perinde ac Metellus.

Romae interim homines, reputantes, quam Sullam exagitassent, cum diruissent domum eius bonaque publicassent, uxorem et liberos fuga euadere coegissent atque necassent amicos, in magno uersabantur timore.

Bellum autem, quod dicitur Sullanum, initium cepit, ex quo Sulla Brundusium adpulit C. Norbano L. Scipione Coss. [3]).

Omnium primum ad Canusium cum Norbano manus conseruerunt proconsules; ceciderunt autem VI milia ex exercitu consulis, septuaginta tantum uiri e copiis Sullae multis tamen sauciatis.

---

[1]) De Metello Pio cf. p. 20 not. 6.

[2]) De Cn. Pompeio Strabone cf. p. 23 not. 1; p. 34; p. 48.

[3]) App. I. 84 init.: „*ὀλυμπιάδων οὐσῶν ἑκατὸν ἑβδομήκοντα καὶ τεσσάρων.*" Bellum igitur incipit a. C. 83 = Ol. 174, 1 anno consulatus C. Norbani et L. Scipionis. Cf. Mommsen, *C. I. L.*, I. p. 439; 538 sq.

Norbanus Capuam se recepit. Tum paullo post totus Scipionis exercitus ad Sullam transiit et quidem hoc modo: exercitus, quem Scipio ducebat, trepidus erat et pacis magis quam pugnae cupidus. Quod Sulla intellegens cum Scipione de concordia egit, sperans fore ut ita dissensio oriretur in exercitu consulis. Conloquium habitum est in campo apud Teanum, ubi castra metati erant Sulla et Metellus. Conuenerunt autem utrinque terni, quo factum est, ut nemo quid conlocuti sint cognouerit. Scipio misisse uidetur Sertorium ad conlegam communicandi consilii causa. Ex itinere Sertorius, quanquam interim utrinque ab armis cessatum erat, Suessam quae pro Sulla stabat, occupauit. Tum Scipio, siue facti conscius siue quid responderet incertus, obsides, quos a Sulla habebat, reddidit. Quare exercitus Scipionis, non amplius ductoribus fretus, sine mora ad Sullam transiit. Scipio cum filio Lucio in tentorio a Sullanis deprehensi ambo incolumes dimissi sunt. Simul ad Norbanum Capuam alios mittens legatos easdem quas Scipioni Sulla ei struebat insidias; sed conatus eius ac doli inriti fuerunt. Carbo interim, consul anni superioris, effecit, ut Metellus aliique, quotquot Sullae fauerent, a S. P. Q. R. hostes iudicarentur.

Capitolium cum eis ipsis diebus deflagrasset (cf. Tac. *Ann.*, VI, 12; id. *Hist.*, III, 72), uarius rumor siue in Carbonem, siue in consules, siue in quendam a Sulla submissum suspicionem uertit.

Sertorius Hispaniam sortitus in prouinciam suam profugit.

Praeterea uaria ab Appiano referuntur prodigia, quibus diuinitus calamitates Romanis praesagiebantur (79—86).

Consules anni 82 fuerunt Papirius Carbo II et Marius filius fratris Marii, qui Sullae fuerat aduersarius [1]), annos

---

[1]) Omnibus aliis (Liv. per. LXXXVI. — Vell. II, 26. — Plin. *N. H.* XXXIII, 5. — Plut. *Sull.*, 28; *Mar.*, 46. — Eutrop., V. 8. —

natus XXVII. Pugnatur ad Aesim flumen, ubi confligunt Metellus et Carrinas [1]), legatus Carbonis. Carrinate profligato finitima loca a consulibus ad Metellum defecere.

Sequitur clades Marianorum Mario duce ad Sacriportum, quod fuit initium magnarum calamitatum eius factionis. Copiae Marii partim ad Sullam transiere, quinque nempe cohortes et duae equitum turmae, partim profligatae petiuere Praeneste fuga effusa. Intromissis autem refugientibus primis Sulla nouissimos urgebat, ita ut Marius clausa porta fune in moenia subducendus esset. Metellus alium exercitum uicit Carbonis transeuntibus tunc quoque inter pugnam quinque cohortibus ad Sullanos. Pompeius Marcium ad Senam [2]) pro-

---

Auct. *de uir. ill.* 68) Marium huncce Iuniorem C. Marii aduersarii Sullae filium fuisse narrantibus unus Appianus dicit quod supra posui, et quidem hoc unico loco. App. I, 60 filium Marii numerat inter eos, qui a Sulla hostes rei publicae iudicantur. Id. I, 62, dicit, filium Marii ipsius cum Granio atque caeteris, qui ad Hiempsalem Roma aufugerant, patri obuium factum esse praeter litus Africae nauigantem. Loquitur quidem App. I, 65, de alio C. Mario, qui cum C. Milonio et Q. Sertorio ad Cinnam, extra urbem homines ad defectionem sollicitantem, confugisset, sed quominus hunc cum filio C. Marii aduersarii Sullae confundamus prohibet cum status rerum (hic alius Marius erat senator, App. l.l.; Marii, pater et filius, tunc nondum in Italia erant), tum Drumanni auctoritas, quem uid. hac de re II. p. 461 not. 97. Cf. Schweigh., *App.* III. p. 331 adnot. ad *Hisp.* 100, et p. 711 adnot. ad *B. C.* I. 65.

[1]) Erat C. Albius Carrinas, dux unius exercituum trium, contra quos Pompeio pugnandum erat in Piceno, antequam se cum Sulla coniungere posset; cf. Drumann, IV. p. 327.

[2]) περὶ πόλιν Σήνας habet App. I. 88; haud dubie de Sena Gallica, non de Sena in Etruria cogitandum est. Cf. Schweigh., *App.* III, p. 716 ad h. l. et id. III, p. 377 ad *Hannib.* 52. De forma plurali (Σήνας) cf. Schweigh. ibid.

fligauit. Sulla, ut fame Marium expugnaret, Praeneste uallo ac fossa e longinquo cinxit praeposito operi Lucretio Ofella. Marius Bruto, praetori urbano, scripsit, ut interficeret P. Antistium, alterum Papirium Carbonem, L. Domitium, Mucium Scaeuolam pontificem maximum; quod fecit Marius desperatis rebus, ne inimicos saltem relinqueret superstites. Brutus per praetextum quendam conuocato senatu duos priores in ipsa curia occidendos curauit; Domitius fugiens interfectus est in foribus, non longe a curia Mucius. Secundum morem, qui iam inualuerat, cadauera omnium in Tiberim sunt proiecta.

Sulla interim exercitum in Campo Martio conlocauit, urbem ipsam ingressus est, bona publicauit eorum aduersae factionis, qui iam dilapsi erant. Aduocata contione conquestus est, se haec facere coactum esse, populum uero bono animo esse iussit. Quibus factis Romae praesidium reliquit Clusiumque [1]) ad bellum conficiendum est profectus. Hic a solis ortu usque ad occasum aduersus Carbonem proeliauit Marte communi; nox pugnam diremit.

Pompeius et Crassus in regionibus circa Spoletium tria milia Carbonianorum ceciderunt Carrinatemque ducem circumsedere. Qui tamen mox per occasionem noctis obscurae ac pluuiae euasit. Frustra tum ad eximendum obsidione Marium Carbo misit Marcium cum legionibus octo; Pompeius enim hoc prohibuit, ex insidiis Marcium adortus.

Nihilo magis id efficere potuerunt M. Lamponius e Lu-

[1]) Ad res, ibi a Sulla gestas, pertinere uidetur inscriptio, quae nuper in lapide Tiburtino ingenti reperta est Clusii in uia, qua itur ad ecclesiam cathedralem: L. CORNELIO L. *f* SVLLAE FEELICi DIC. Cf. MOMMSEN, *C. I. L.*, I. p. 168, n°. 586. De geminatione uocalis uid. MOMMS. *Munzw.* p. 471 et *C. I. L.*, I. p. 194, n°. 706.

cania, Pontius Telesinus e Samnio, Gutta ex urbe Capua: unicum enim transitum occupauerat Sulla [1]). Frustra dein Marius ipse conatus est Lucretium Ofellam repellere rursusque intra moenia est conclusus.

Eisdem autem profligati sunt diebus Carbo et Norbanus aduersus Metellum ad Fauentiam [2]) pugnantes. Mile ex eorum exercitu soli sunt seruati, X circiter milia caesa sunt, VI milia ad hostem transiere, disiecti reliqui. Ad Sullanos tum desciuit primum legio Lucana, quae ducem Albinouanum habebat, mox Albinouanus ipse nonnullis ante in conuiuio trucidatis, nempe C. Antipatro et Flauio Fimbria [3]) aliisque Carbonianis. Norbanus Rhodum fuga traiecit ibique postea in medio foro se confodit deliberantibus Rhodiis de eius ad Sullam deditione.

Carbo, alter ad Fauentiam dux et, quod iam antehac dixi, consul huius anni, frustra conatus Damasippo duce misso Marii obsessionem soluere, cum Sulla fauces, per quas transitus erat ad agrum Praenestinum, usque occupatas teneret, Galliam Cisalpinam totam ad Metellum defecisse comperiens, uictoria Luculli ad Placentiam audita Italiam deseruit inque Africam cum amicis profugit. Exercitus interim, quem ad Clusium reliquerat, ibi a Pompeio profligatus XX circiter milia amisit.

Carrinas tum et Damasippus Marciusque cum Samnitibus profecti sunt, fauces illas perrupturi. Sed nihil proficientes aliam uiam ingressi sunt Romamque petiuere.

Tum Sulla fauces dereliquit et cum omnibus copiis

---

[1]) Mommsen, *R. G.* II. p. 326 not.

[2]) Fauentia est urbs in Gallia Cispadana ad uiam Aemiliam inter Forum Cornelii et Forum Liuii, hodie Faenza. Cf. Cellar., *geogr. ant.*, cap. IX. p. 70; id., *geogr. noua*, cap. XVIII. p. 447.

[3]) Hic Fimbria frater erat eius Fimbriae, de quo antea egi in bello Mithradatico quique morte obiit uoluntaria, cf. p. 58; 60 sqq.

prope portam Collinam castra posuit, urbi quippe metuens, cum hostes in agro Albano etiam castra metati essent, centum fere stadia [1]) ab urbe.

Mox signa contulerunt proeliique, quod per totam noctem durabat, hic exitus fuit, quod Carboniani profligati sunt et castra eorum capta ducibus Telesino Albinoque caesis. Lamponius, Marcius et Carrinas fuga uitam seruare sunt conati. Quorum Marcius et Carrinas, e fuga retracti, a Sulla occisi sunt. Capita eorum Lucretio misit uictor, circa moenia Praenestina circumferenda. Ceciderunt autem utrinque, ut uidetur, ad quinquaginta milia. Captiuos, quorum maior pars fuerunt Samnites [2]), interficiendos Sulla curauit omnes. Auditis hisce Praenestini se Lucretio dediderunt. Marius in cuniculum se abdidit (ἐς τάφρους ὑπονόμου) ibique sibi ipse necem consciuit. Caput eius Sulla pro rostris exposuit. Crudelissime porro Praeneste puniuit, incolas pro maxima parte iaculis configi iubens. Pompeius in Siciliam missus est contra Carbonianos; inde in Africam contra Carbonem ipsum.

Sulla aduocata contione, in qua multa de sese magnifice, multa ad ciues terrendos locutus est, senatorum proscripsit quadraginta, equitum mile et sexcentos. Primus enim Sulla formam istam necandi, proscriptionem uolo, adhibuit praemiis etiam percussoribus latentiumque indicibus propositis. Proscriptione autem necati sunt homines non Romae solum, uerum per Italiam uniuersam in ipsis domibus, in uiis, in templis: fiebant caedes, direptiones, expulsiones ubique. Per plerasque

[1]) I. e. XII milia pass., uel circa duodecimum ab urbe lapidem.

[2]) Appianus dicit, Sullam hoc fecisse, *quod* Samnites maior eorum pars essent, cf. App., I. 93: „*τά τε αἰχμάλωτα Σύλλας, ὅτι Σαυνῖται τὸ πλέον ἦν, κατηκόντισεν.*"

urbes uel ciuitates ueteranos distribuit suos, ad quos ueterum transtulit praedia possessorum [1]).

Carbo, ex Africa in Siciliam fugiens atque inde in insulam Cossyram profugus, a Pompeio per certos ad id missos homines retractus est. Deinde idem Carbo, ter consul, uinctus ad pedes Pompei post grauem inuectionem interfectus est [2]). Caput autem occisi ad Sullam missum est.

Metello contra Sertorium in Hispaniam (cf. p. 108) misso Sulla urbanas res solus ad libitum ordinauit, atque uniuersis prae metu uel terrore silentibus aut latitantibus omnia Sullae acta, cum priora eius consulis, tum posteriora eius pro consule ex Scto rata sunt habita, ac statua ei posita est pro rostris aurata equestris, cui inscriptum erat: Cornelio Sullae Dictatori [3]) Felici.

Haec, secundum Appianum, fuit adulatio propter continuos Sullae successus, quae mox in perpetuum abiit cognomen. Inuenit Appianus scripto quodam relictum, Sullam in illo Scto *Epaphroditum* adpellatum fuisse.

---

[1]) Sunt ciuitates, quae uulgo *coloniae militares* uocantur.

[2]) App. I. 96 extr. „*Κάρβωνα δὲ παραζησάμενος αὐτοῦ τοῖς ποσὶ δεσμώτην τρὶς ὕπατον ἐπεδημηγόρησε καὶ κατέκανεν.*" — Cf. Plut. *Pomp.* 10 med. „*ὁ δὲ (Πομπήϊος) δέσμιον προαγαγὼν ἄνδρα Ῥωμαῖον τρὶς ὑπατεύσαντα καὶ πρὸ τοῦ βήματος ζήσας καθεζόμενος αὐτὸς ἀνέκρινεν εἶτα ἐκέλευσεν ἀπαγαγόντας ἀνελεῖν.*"

[3]) Ita uertendum uidetur uocabulum „*ἡγεμών*" (App. I. 97), cf. Mommsen, *C. I. L.*, I, p. 168, n°. 584, quae inscriptio, reperta Romae in Quirinali, hodie est Neapoli in museo publico. — n°. 585, inscriptio, SVLLAE. FEcLEICI. DICTATORI dedicata a Corneliis, quod indicat uoc. extr. LIBERTINI. — n°. 586, cf. p. 110, *not.* 1; id. *Münzw.* p. 593, n°. 224 Gepräge *d*) Reiterstatue; daneben L. SVLL*ae* FELI*ci* DIC*tatori*, p. 596 adn. 387. Vitiosum igitur est ut uulgo uertitur „Imperator" (Schwgii. *App.*, II, p. 137).

Quod et Appiano consentaneum uisum est: „ἐπεὶ", inquit, „καὶ Φαῦςος ἐπωνομάζετο· δύναται δὲ <τοῦτο αἴσιος· δοκεῖ δὲ> τοῦ αἰσίου καὶ ἐπαφροδίτου ἀγχοτάτω μάλιςα εἶναι τὸ ὄνομα." (App. *B. C.* I. 97) [1]).

Seruatum est ab Appiano oraculum, quo Sullae, de futuris consulenti, confirmatum est, eum rerum potiturum, si munera Delphos ferens donum quoque securim Veneri dedisset. Quod oraculum ita fuisse traditur:

„πείθεό μοι, Ῥωμαῖε. κράτος μέγα Κύπρις ἔδωκεν
„Αἰνείου γενεῇ μεμελημένη. ἀλλὰ σὺ πᾶσιν
„ἀθανάτοις ἐπέτεια τίθει. μὴ λήθεο τῶνδε.
„Δελφοῖς δῶρα κόμιζε. καὶ ἔςι τις ἀμβαίνουσιν
„Ταύρου ὑπὸ νιφόεντος, ὅπου περιμήκετον ἄςυ
„Καρῶν, οἳ ναίουσιν ἐπώνυμον ἐξ Ἀφροδίτης [2]).
„καὶ πέλεκυν θέμενος λήψῃ κράτος ἀμφιλαφές σοι."

Cui Sulla respondens misit Veneri securim cum aurea corona inscriptione hacce:

„τόνδε σοι αὐτοκράτωρ Σύλλας ἀνέθηκ', Ἀφροδίτη,
„ὥς σ' εἶδον [3]) κατ' ὄνειρον ἀνὰ ςρατιὴν διέπουσαν
„τεύχεσι τοῖς Ἄρεος μαρναμένην ἔνοπλον."

Sulla igitur dictator factus est et quidem hoc modo. Olim apud Romanos qui essent uirtute praestantissimi

---

[1]) Verba inserta sunt Mendelssohnii (ed. *App.* 1881, Vol. II. p. 661), qui etiam pro *τὸ ὄνομα* conicit *τὰ ὀνόματα*.

[2]) Erat urbs Aphrodisias prope Maeandrum ad montem Cadmum (Cellar. *g. ant.* c. XVII. p. 163), etiam Megalepolis et Ninoe dicta. Schwgh. *App.*, III, p. 722. — H. Kiepert, *Neuer Atlas von Hellas*, Berl. 1879, tab. II; III; XII; id. *Atl. ant.* t. V Ek.

[3]) *ὡC εἶδον* pro *ὧC C' εἶδον* libri habent, quod uitium, ex haplographia natum, correxit Cobet, *Mnemos.* N. S. 1882, Vol. X, P. II, p. 213.

eligi consuerant *reges* et, quoties eorum aliquis obibat, senatores alii post alios diebus quinis rei publicae praeerant, donec quispiam succederet, cui suffragia populi fauissent. Adpellitabantur autem magistratus illi, quorum imperium quinum dierum spatio finiebatur, *interreges*. Qui mos interregis creandi continuabatur ciuitate in rei publicae formam mutata, ita ut, si quo casu deessent consules, comitiorum habendorum causa crearetur interrex [1]). Illo autem tempore deerant consules, nam Carbo et Marius uita decesserant, ille in Sicilia, hic Praeneste. Quare Sulla, ut antiquae formae seruaretur imago, senatum iussit interregem creare, et creatus est Valerius Flaccus, cui Sulla scripsit „referret ad populum, Sullam fore e re publica existimare, si in praesentia diceretur dictator." Addidit uero, illum dictatorem non dicendum esse ad definitum aliquod tempus, sed usque donec omnia, cum res urbanas, tum Italicas, ordinauisset.

Quibus litteris recitatis S. P. Q. R. Sullam in quantum temporis spatium ipsi libuisset dixit τύραννον αὐτοκράτορα. Olim enim dictatura fuerat regia potestas, at breui tempore circumscripta. Quia tamen nunc termini fuerunt amoti, Sulla erat *uere* rex, *nomine* dictator. „τοσόνδε μέντοι", dicit App. 99 med., „προςέθεσαν ἐς εὐπρέπειαν τοῦ ῥήματος, ὅτι αὐτὸν αἱροῖντο δικτάτορα ἐπὶ θέσει νόμων ὧν αὐτὸς ἐφ' ἑαυτοῦ δοκιμάσειε, καὶ καταςάσει τῆς πολιτείας" [2]).

Ita dictatura abhinc multis annis intermissa, licet mutata forma, a Sulla reuocata est [3]) (87—99).

---

[1]) Cf. Liv. I, 17, ed. Weissenborn (ed. VII. H. J. Müller), Berl. Weidm. 1879, I[1]. p. 129 sqq. ibique adn. ad c. 17, § 5—11.

[2]) Cf. Mommsen, *C. I. L.*, I, p. 439: a. Varr. 672 = 82 a. C. L. CORNELIVS. L. F. P. N. SVLLA. FELIX. *dict. rei. publ. constituendae. c.*

[3]) App. I, 98, habet: *παυσάμενον ἔθος ἐκ τετρακοσίων*

Permisit Sulla populo creare consules, ut conseruaretur pristina rei publicae forma. Creati sunt M. Tullius, Cornelius Dolabella [1]), quibus tamen ipse praeerat dictator. Praeferebantur autem ei, perinde ac regibus olim, uiginti quattuor secures [2]).

---

ἐτῶν. Dicit igitur, dictaturam denuo constitutam esse post annos CCCC. SCHWEIGH., *App.* III. p. 723 „illud lectionis monstrum" eiecit, „liberam cuique coniecturam relinquens." NAUCKIUS (cf. APP., ed. Mendelssohn, uol. II. p. 663 adn. crit.) coniecit τεττάρων γενεῶν, qua coniectura recepta locus mendosus sine dubio sanatus est, cum e Fastis Capitolinis nouerimus, supremum dictatorem, more maiorum dictum, fuisse C. Seruilium 202 a. C. (cf. MOMMSEN, *C. I. L.*, I. p. 436: C. SERVILIVS. C. F. P. NEPOS DICT. COMIT. HABEND. CAVSSA). Hunc autem honorem adeptus est Sulla 82 a. C. annis igitur *centum et uiginti* intermissis (cf. VELL., II. 28: „quippe dictator creatus, cuius honoris usurpatio per annos CXX intermissa." — PLUT. *Sull.* 33: „δικτάτορα μὲν γὰρ ἑαυτὸν ἀνηγόρευσε δι' ἐτῶν ἑκατὸν εἴκοσι τοῦτο τὸ γένος τῆς ἀρχῆς ἀναλαβών"). Cum Schweighaeusero existimans, absurdam lectionem codicum non sine summa iniuria ad Appianum auctorem referri posse, τετρακοσίων delendum censeo. Agitur hic de solita confusione notarum numeralium in libris manu scriptis. Confunduntur enim uniuerse notae numerales cum litteris. Scripsit, credo, Appianus recte ἐξ ρκ' ἐτῶν, quod deprauatum est in ἐκ υ' ἐτῶν. Librarius enim scriptor primum confudit litteras ἐξ cum notis numeralibus ρκ', dein, posteaquam oculus eius aberrauit, uidit κ', pro quo scripsit υ'. Quocirca lego: παυσάμενον ἔθος ἐξ ἑκατὸν εἴκοσιν ἐτῶν.

[1]) Tullius ille in Fastis Capitolinis (a. Varr. 673 = a. C. 81) M. TULLIUS M. F. A. N. DECULA uocatur, eius conlega CN. CORNELIUS DOLABELLA. Cf. MOMMSEN, *C. I. L.*, I. p. 439. — Cum Cicerone Tullius non erat sanguine coniunctus, cf. DRUMANN, V. p. 206 not. 79. De Dolabella uid. DRUM., II. p. 560 sq. not. 32.

[2]) Pugnat APP. h. l. (*B. C.* I. 100: „πελέκεις τε γὰρ ἐφέροντο πρὸ αὐτοῦ εἴκοσι καὶ τέσσαρες, ὅσοι καὶ τῶν πάλαι βασιλέων ἡγοῦντο") cum APP. *Syr.* 15: „τῶν ὑπάτων δυώδεκα πελέκεσι,

Tum leges pertulit hasce: „*ne quis praeturam gereret ante quaesturam, neue ante praeturam consulatum*"; „*ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet.*" Lege de tribunicia potestate: „*ne quis ad curulem admitteretur honorem post tribunatum gestum*" ita hanc dignitatem debilitauit, ut reddita esset imago sine re. Adlegit ex ordine equestri in senatum trecentos, nam conlegium illud supremum bellis intestinis ac proscriptionibus ad nimiam redactum erat paucitatem.

Inseruit praeterea plebi seruos proscriptorum ad decies mile, qui, cum communi uterentur patrono, Sulla, uocabantur Cornelii [1]). Fecit tandem sibi obnoxios milites legionum XXIII, agros eis multos diuidens [2]).

Q. Lucretius Ofella, qui Praeneste expugnauerat, iussu Sullae in medio foro necatur cum, nondum ordini senatorio adscriptus, ante praeturam, immo ante quaesturam gestam, contra legem consulatum se petiturum professus esset.

Sulla triumphat de Mithradate. Vexantur multis tributis prouinciae omnes, reges, amici, socii, ciuitates non solum stipendiariae, sed foederatae quoque, quae sponte sua populo traditae erant Romano, aut quibus inmunitas libertasue fuerat data.

Sulla Alexandrinis regem dedit *Alexandrum*, filium Alexandri, qui in Aegypto regnauerat, primum educatum in insula Co, tum a Cois Mithradati deditum, inde uero ad Sullam profugum et in familiaritatem receptum [3]).

---

ὥσπερ οἱ πάλαι βασιλεῖς, χρωμένων". Cf. MOMMSEN, *Staatsr.* I² p. 366 not. 1; II¹ p. 5; 83; 145. — SCHWEGLER, *röm. Gesch.*, 2e Aufl. Tübingen, 1870, II, p. 121; 129 not. 3.

[1]) Cf. p. 113, not. 3.

[2]) DRUMANN, II p. 478 sqq. — MOMMSEN, *R. G.*, II p. 334 sqq.

[3]) Alexander, de quo hic agitur, erat Ptolemaeus X etiam

Verum Alexandrini eum die regni decimo nono interfecerunt.

Insequenti anno (80) Sulla, licet dictator, tamen, ut conseruaretur forma rei publicae antiqua, aequum esse arbitratus est, se consulem fieri II. Conlegam adsumpsit Metellum Pium [1]). Unde forte morem natum esse Appianus nobis auctor est, ut postea sub principibus non indecorum duceretur, summum cum consulatu coniungi imperium. In proximum annum Sulla III a populo consul designatus est, quo uero honore recusato se dictatura abdicauit P. Seruilio C. f. M. n. Vatia (qui postea Isauricus adpellatus est) et Ap. Claudio Ap. f. C. n. Pulchro consulibus factis [2]). Sponte igitur Sulla ad uitam rediit priuatam. Dixisse autem idem pro contione perhibetur, cum deponeret summum imperium, paratum se esse, si quis expeteret, rationem suorum reddere actorum. In praedia sua Cumana secessit atque ibi tempus triuit piscationibus et uenationibus, etsi firmo corpore satis adhuc ualens erat aetate ad quidquid efficiendum.

Creati sunt Romae in annum sequentem (78) consules Q. Catulus Sullanae, Aemilius Lepidus diuersae factionis. Eodem anno Sulla, per insomnium monitus, ut a fato iamiam uocaretur, testamentum scribere instituit. Quo confecto obsignatoque sub uesperam febri est conreptus et eadem nocte de uita migrauit anno aetatis sexagesimo

---

Alexander Ptolemaeus II dictus, filius Ptolemaei IX siue Alexandri Ptolemaei I, frater patruelis Ptolemaei VIII Lathyri, nepos Ptolemaei VII Physconis Euergetae (alias Kakergetae, cf. Posidon. fg. 11, ed. Mueller, *fg. H. Gr.* Vol. III, p. 255). Cf. Drumann, II, p. 494 not. 79.

[1]) Est Q. Caecilius Q. f. L. n. Metellus Pius, de quo supra egi (p. 20 not. 6).

[2]) Mommsen, *C. I. L.*, I. p. 439.

„εὐτυχέστατος", ut App. dicit, „ἀνδρῶν ἔς τε τὸ τέλος αὐτὸ καὶ ἐς τἆλλα πάντα, ὥςπερ καὶ ὠνομάζετο, γενέσθαι δοκῶν, εἰ δή τις εὐτυχίαν ἡγοῖτο τυχεῖν ὅσων ἂν ἐθέλῃ". Rixa tum exorta est inter duas factiones, cadauer pompa funebri deducendum esset per Italiam Romaeque in foro exponendum, necne. Aduersante Lepido cum sua factione Catulus uicit. Itaque corpore in urbem delato funus splendidissimum est celebratum, in quo depingendo multus Appianus est. Fausto filio nondum maturo uir ea tempestate eloquentissimus Sullam pro rostris laudauit (100—106).

---

## § 2.

### De auctoribus Plutarchi et Appiani, res Sullanas in belli ciuilis parte posteriore tradentium.

Commentarii Sullae a Plutarcho citantur cap. 27 ter [1]), cap. 28 semel [2]), cap. 37 semel [3]). Praeterea laudatur Fenestella cap. 28 [4]).

---

[1]) ὁ Σύλλας διέβαινεν ὡς φησιν αὐτός. — τοῦτο αἴτιον αὐτῷ γενέσθαι φησίν. — ἐν δὲ Σιλουίῳ φησὶν ἐντυχεῖν αὐτῷ.

[2]) ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ Σύλλας φησὶν εἴκοσι τρεῖς μόνους ἀποβαλεῖν.

[3]) τὸ γὰρ εἰκοστὸν καὶ δεύτερον τῶν ὑπομνημάτων πρὸ δυεῖν ἡμερῶν ἢ ἐτελεύτα γράφων ἐπαύσατο· καί φησι — λέγει δὲ κτέ.

[4]) ἔνιοι δέ φασιν, ὧν καὶ Φαινεστέλλας ἐστίν, e quo non sequitur, Plutarchum Fenestella usum esse. Cf. prooem. p. 5; c. IV, § 2, p. 74. Caeterum Fenestella uixit Augusti tempore, fortasse quoque sub Tiberio. Varronem sibi elegit exemplar. Scripsit historias et carmina. Septuagenarius mortuus, Cumis sepultus est. Cf. Plut. *Crass.* 5 extr. — Teuffel, *Röm. Litt.* ed. III, p. 561 sqq.

Etiam e libris Sullae Plutarchus mutuatus esse uidetur uerba, quibus Apollinem Sulla precatus sit, cap. 29: „ὦ Πύθιε Ἄπολλον, τὸν εὐτυχῆ Σύλλαν Κορνήλιον ἐν τοσούτοις ἀγῶσιν ἄρας λαμπρὸν καὶ μέγαν, ἐνταῦθα ρίψεις ἐπὶ θύραις τῆς πατρίδος ἀγαγὼν αἴσχιςα τοῖς ἑαυτοῦ συναπολούμενον πολίταις;"

Unde Plutarchus desumpserit quod de phthiriasi scriptis mandauit, non adparet; uerum aegre crediderim, Sullam ipsum morbum istum sordidum descripsisse. Fortasse Sallustii Hist. lib. I h. l. subest [1]).

App. I. 79—86 semper ordinem rerum seruat, Plut. sua confuse tradit. Hic e. g. non adcurate indicat, quibus consulibus, neque quo anno factae res sint. Apud hunc, c. 27, Sulla proficiscitur per Thessaliam et Macedoniam Dyrrhachium, inde Brundusium mile et ducentis nauibus

[1]) H. Peter, *die Quellen Plut.*, p. 60 *not.* — Plut. *Sull.* 36, copiose phthiriasin describens, morbum hunc mortem quidem Sullae adduxisse credit; proximam uero causam habet sanguinis eruptionem (Plut. *Sull.* 37). Mommsen, *R. G.*, II. p. 375 scribens: „im sechzigsten Lebensjahr, frisch an Körper und Geist ward er (Sulla) vom Tode ereilt" ante oculos habuit App. I. 105: „*ἑξήκοντα μὲν ἔτη βιώσας*" — id I. 104: „*ᾧ (Σύλλᾳ) δυνατὴ μὲν ἔτι ἡ ἡλικία καὶ τὸ σῶμα εὔρωςον*". Pergens Mommsen: „nach kurzem Krankenlager — noch zwei Tage vor seinem Tode schrieb er an seiner Selbstbiographie — raffte ein Blutsturz ihn hinweg" manifesto utitur Plutarcho (cf. Plut., *Sull.* 37); non igitur memorat quod narrat Appianus I. 105: „*(Σύλλᾳ) πυρετὸς ἐμπίπτει καὶ νυκτὸς ἐτελεύτησεν.*" Addit tamen l.l. not.: „nicht die Phthiriasis, wie ein anderer Bericht sagt, aus dem einfachen Grunde, dass eine solche Krankheit nur in der Phantasie existirt". — Drumann, II, p. 497, contrariam profert opinionem: „ein Blutsturz war die unmittelbare Ursache seines Todes; schon vorher aber wurde er von der Phthiriasis heimgesucht; ausdrückliche Zeugnisse verbürgen es." Cf. Drum. l.l. not. 100 et 1.

transuehitur ac mox in Campania profligat Marium Iuniorem et Norbanum. Tum demum narrat, seruum Pontii ad Sullam uenisse, Capitolium incensum fore nuntiantem, et quidem Siluii in oppido Apuliae. App. I, 79 contra dicit, Sullam a Piraeo Patras et hinc classe mile et sexcentarum nauium Brundusium traiecisse. Id. I, 80 tradit, Sullae obuios factos esse Metellum, Pompeium, Cethegum socios, qua de re Plutarchus tacet. Legimus porro apud App. I, 84, primum proelium commissum esse ad Canusium, quod Plut. l.l. in Campania ad montem Tifata factum esse narrat [1]). Compellitur apud Plut. l.l. Norbanus Capuam, ubi includitur. Apud App. I, 85, idem se Capuam recipit.

M. Lucullus apud Fidentiam hostes uincit (Plut. l.l.) [2]), transit ad Sullam exercitus Scipionis et quidem militibus corruptis (Plut. 28). Exercitus Scipionis ad Sullam transit (App. I. 85) [3]), Capitolium deflagrat, Sertorius in Hispaniam se confert (App. I. 86).

Inspiciamus epitomatores Liuii. Tanguntur res, ea tempestate gestae, in periocha libri LXXXV, a Vellcio, II, 24; 25; 29, a Floro, II, 9. 18 sq., a Dione, fg. 106 sqq. [4]), a Iulio Obsequente 118, ab Eutropio, V, 7, ab Orosio, V, 19 sq.

App. I, 80: „Γναῖος Πομπήιος ὁ μετ' οὐ πολὺ μέγας

---

[1]) Loquuntur de eadem pugna, ut e locis secum inuicem conparatis liquet. Vid. infra p. 123 sq.

[2]) Hoc proelium Appianus differt in annum sequentem, I. 92: „*καὶ Λεύκολλος ἑτέρους τῶν Καρβωνείων ἐνίκα περὶ Πλακεντίαν.*" Sunt autem Fidentia et Placentia loca in Gallia Cispadana sibi propinqua cf. Cellar. *geogr. ant.* c. IX, p. 70.

[3]) Discrepat a Plutarcho in modo, quo ille transitus factus sit, exponendo.

[4]) Cass. Dio, ed. Dindorf. Teubn. 1863, Vol. I. p. 147 sqq.

παρονομασθείς, Πομπηίου μὲν ὢν παῖς τοῦ διεφθαρμένου τῷ κεραυνῷ" [1]). Per. l.l.: „Cn. Pompeius, Cn. Pompei filius eius, qui Asculum ceperat" [2]).

Discrepat Appianus l.l. a Liuio l.l. in numero legionum Pompei notando. Apud illum enim Pompeius unam ducit legionem (καὶ τέλος [3]) ἦγαγεν), apud hunc tres.

App. I. 79: „Σύλλας ἅπαντας ἄγων ἐς μυριάδας ἀνδρῶν τέσσαρας." Id. I. 82: „Νωρβανὸς καὶ Σκιπίων ἐπὶ τὸν Σύλλαν ἐχώρουν, σπείραις ἐκ πεντακοσίων ἀνδρῶν διακοσίαις τότε πρῶτον· ὕςερον γὰρ καὶ πλέοσι τούτων." Ducit igitur Sulla in uniuersum circiter quadraginta uirorum milia, Norbanus et Scipio centum milia. Cf. Vell., II, 24 med.: „Sulla haud plura quam triginta milia aduersus ducenta milia amplius hostium exposuit," in quibus igitur numeris tradendis Velleius non plane cum Appiano conspirat.

Denique breuiter res memoratu dignas percurram:

1. Copiarum consularium ad Sullam transitum cum Appiano memorant Liuius [4]), Velleius, Florus, Eutropius.

---

[1]) Cf. App. I. 68 extr.: „*κεραυνῶν δὲ πολλῶν ἐς τὸ τοῦ Πομπηίου ςρατόπεδον καταρραγέντων, ἄλλοι τε τῶν ἐπιφανῶν καὶ ὁ Πομπήιος ἀπώλετο.*" — Plut. *Pomp.* 1: „(*Πομπήιος*) *ἀπέθανε κεραυνωθείς.*" (Vid. Cass. Dion., fg. 107 l.l. p. 148). — Iul. Obseq. 116: „Pompeius adflatus sidere interiit." (Vid. Plin. *N. H.*, II. 18). — Oros., V. 19: „Pompeius fulmine adflatus interiit."

[2]) Cf. Liv., per. LXXVI: „Asculum a Cn. Pompeio captum est." — App., I. 47 extr.: „*Πομπήιος δὲ καὶ τὸ Ἄσκλον ἐπελθὼν ἐπολιόρκει.*"

[3]) Cf. Plut. *Anton.* 18, e quo loco adparet, legionem Romanam a Graecis *τέλος* uocari: itaque *τέλος ἦγαγεν* = *unam* legionem duxit.

[4]) Per. l.l.: „Uniuersus exercitus consulis, sollicitatus per emissos a Sulla milites, signa ad Sullam transtulit. Scipio cum occidi posset, dimissus est". Plane igitur conuenit cum App. I. 85 sq.

2. De amicorum in Sullae castra aduentu mentionem faciunt Liuius [1]), Velleius [2]), Cassius Dio [3]).

3. De Capitolio incenso habet App. I. 83 (in enumerandis prodigiis): „τό τε Καπιτώλιον ὑπὸ τῶν βασιλέων τετρακοσίοις που πρόσθεν ἔτεσι γενόμενον ἐνεπρήσθη, καὶ τὴν αἰτίαν οὐδεὶς ἐπενόει". Id. I. 86: „αἷς ἡμέραις καὶ τὸ Καπιτώλιον ἐνεπίμπρατο· καὶ τὸ ἔργον τινὲς ἐλογοποίουν Κάρβωνος ἢ τῶν ὑπάτων ἢ Σύλλα πέμψαντος εἶναι. τὸ δ' ἀκριβὲς ἄδηλον ἦν, καὶ οὐκ ἔχω τὴν αἰτίαν ἐγὼ συμβαλεῖν δι' ἣν ἂν οὕτως ἐγένετο".

Dio, fg. 106 (qui causam fulmen fuisse arbitratur): „κεραυνοῦ ἐπὶ τὸ Καπιτώλιον ἐνεχθέντος ἄλλα τε πολλὰ καὶ οἱ τῶν Σιβυλλείων χρησμοὶ διεφθάρησαν."

Iul. Obseq. 118: „Aeditui [4]) Capitolium una nocte conflagrauit".

4. Cum App. I. 84 consentiunt Liuius, Velleius, Florus, Eutropius, Orosius, similiter omnes primum proelium aduersus Norbanum factum esse referentes:

Liv. „Norbanum proelio uicit".

Vell. „felici circa Capuam euentu Scipionem Norbanumque consules superat, quorum Norbanus acie uictus".

---

[1]) Per. l.l. Pompeium „ad quem se nobilitas omnis conferebat", nominatim adfert.

[2]) Vell. II. 25: „Crescebat in dies Sullae exercitus confluentibus ad eum optimo quoque". Id. II. 29: „Cn. Pompeius ex agro Piceno contraxit exercitum".

[3]) Dio, fg. 106: „*ὅτι ὁ Μέτελλος ἐς τὸν Σύλλαν ἦκε καὶ πλεῖσα αὐτῷ συνήρατο*". Id. fg. 107: „*ὅτι ὁ Πομπήιος υἱὸς ἦν τοῦ Στράβωνος — ἀχθόμενος δέ τοῖς τὴν πόλιν ἔχουσιν ἐξωρμήθη ἐς τὸ Πικηνόν — καὶ τῷ Σύλλᾳ προσεχώρησεν*".

[4]) Scribit Scaliger *aeditui culpa* (cf. Iul. Obseq. ed. Oudendorp, L. B. 1720, p. 172 not. 9). Mihi uero nihil inserendum uidetur. In *aeditui* aliud quid latet. Narrat enim Iulius Obsequens prodigia, non res quae incuria hominis euenium.

Flor. „primum apud Capuam sub amne Volturno signa concurrunt et statim Norbani fusus exercitus."

Eutrop. „primo proelio contra Norbanum dimicauit non longe a Capua."

Oros. „Sulla mox ut Campanum litus adtigit Norbanum consulem proelio oppressit" [1]).

Locum pugnae regionem circa Capuam indicant Vell. „circa Capuam", Flor. „apud Capuam sub amne Volturno", Eutrop. „non longe a Capua", Oros. „ut Campanum litus adtigit".

Quo magis miror App. I. 84 narrare: „πρώτῃ μὲν ἀμφὶ Κανύσιον πρὸς Νωρβανὸν ἐγίγνετο μάχη" [2]).

Loquuntur omnes de eodem proelio. Apud Appianum Norbanus se Capuam recepit [3]), apud eundem in sequentibus Campania uel regiones proximae Latii testes sunt rerum, quae geruntur (c. 85 *Teanum*, quod nimirum est Teanum Sidicinum, non Teanum Apulum; ibid. *Suessa;* c. 86 *Capua*). Quo praeterea pacto Norbanus se a Canusio, ex Apulia igitur, Capuam receperit, non intellegitur.

Quare ἀμφὶ Κανύσιον mihi uitiosum uidetur.

Ratio autem loci mendosi sanandi non perdifficilis est: pro KANYCION enim KACIAINON legatur, quae simplex mutatio est [4]). Κασιλῖνον est urbs Campaniae ad Volturnum (= Flor.: „apud Capuam sub amne Volturno"), in regione igitur proxima circa Capuam.

---

[1]) Nemo habet quod Plut. 27 tradit: Sullam pugnasse aduersus Marium Iuniorem et Norbanum consulem.

[2]) Etiam Plut. 27 adcurate dicit: „*ἐν Καμπανίᾳ περὶ τὸ Τίφατον ὄρος*". Vid. Vell. II. 25. „post uictoriam, qua descendens *montem Tifata* cum C. Norbano concurrerat".

[3]) Item Plut. 27 „*καὶ κατέλεισεν εἰς Καπύην πόλιν τὸν Νορβανόν.*"

[4]) Idem coniecisse uideo Tzschucke ad Eutr. V, 7 et Drumann, II, p. 459, not. 85.

5. Numeros caesorum ac captiuorum in proelio ad Capuam referunt Eutropius et Orosius, haud uero omnino congruentes cum Appiano.

| App. I. 84. extr. | Eutrop. l.l. | Oros. l.l. |
|---|---|---|
| „θνήσκουσι Νωρβανοῦ μὲν ἑξακισχίλιοι, τῶν δ' ἀμφὶ τὸν Σύλλαν ἑβδομήκοντα, τραυματίαι δ' ἐγένοντο πολλοί." | „*sex milia* eius (Norbani) cecidit (Sulla), *sex* cepit, *CXXIIII* suos amisit." | „*septem milia* tunc Romanorum Romani interfecerunt; *sex milia* eorundem ab eisdem capta sunt; *centum et uiginti quattuor* de Sullana parte ceciderunt." |

App. I. 87—99 perfecte traditam nobis reliquit narrationem. Contra Plut. 28—35, nexum rerum parum curans, historiam turbat.

Quae habet differunt ab Appiano uel alio ordine narrantur. Ignorare nos uoluit Plutarchus: Marium et Carbonem consules fuisse anni 82; necatos esse Antistium, Papirium, Scaeuolam, alios; quae Norbano acciderunt, postquam Capuae inclusus est; Sullam fauces occupasse; diuersos conatus factos esse eum pellendi; tristia, quae deinde euenerunt Carboni [1]); oraculum Sullae datum; donum a Sulla Veneri missum.

Sullae dictaturam, de qua Appianus copiose agit, Plutarchus strictim memorat.

Nominatim solas adfert Plutarchus pugnas ad Signium et ante urbis portas [2]), alia proelia leuiter tangens. Proelium ad Signium idem uidetur atque ad Setium et Sacriportum (App. 87, med.), nam Signium siue Signia oppidum erat

---

[1]) Caeterum Plutarchus de calamitosa sorte Carbonis mentionem facit in Vita Pompei, cf. p. 113 not. 2.

[2]) Cf. Strab. V. 4. 11, ed. Kram. Vol. I. p. 395.

uicinum Setii. Sed aliter a Plutarcho, aliter ab Appiano pugnae describuntur. Attamen consentiunt inter se, ubi dicunt, Marium post priorem pugnam Praeneste confugisse, post alteram se interfecisse. Diuerso ordine tradunt:

| | | |
|---|---|---|
| 1. proscriptiones | | 1. Marii mortem |
| 2. Marii obitum | | 2. proscriptiones |
| 3. Sullae dictaturam | | 3. inscriptionem in statua (*Felix*) |
| 4. Sullam sibi cognomenta adsumpsisse „*Felicem*" et „*Epaphroditum*." | PLUT. | 4. Sctum de cognomine „*Epaphrodito*" |
| | | 5. Sullae dictaturam |

APP.

Sunt quaedam apud Plutarchum seruata, de quibus tacet Appianus: PLUT. 31 dicit, Metellum uel Fufidium [1]) Sullam in senatu fuisse percontatum de proscriptionibus. Id. 33, 35 de diuersis loquitur matrimoniis. Haec autem frustra apud Appianum quaeras. Mortem Lucretii PLUT. 33 memorat, APP. demum 101: itaque differt in annum sequentem (81).

In auxilium uocemus LIV., per LXXXVI—LXXXIX; VELL. II. 26—28; II. 61; FLOR. II. 9. 20 sqq.; AUCT. *de uir. ill.* 75; EUTROP. V. 8 sq.; OROS. V. 20 sq.

1. Concinunt cum Appiano de consulibus huius anni Velleius, Florus, Eutropius. Sacriportum nominant Liuius, Velleius, Florus, Auctor de uir. ill., Orosius.

APP. dicit, interfectos esse e uoluntate Marii Antistium, alterum Papirium Carbonem, Domitium, Mucium Scaeuolam P. M.; LIV.: omnem nobilitatem, e cuius numero Q. Mucium Scaeuolam P. M.; VELL.: Domitium, Scaeuolam Mucium P. M., G. Carbonem praetorium, consulis

---

[1]) PLUT. 31 nescit utrum nomen *Γάιος Μέτελλος* an *Φουφίδιος* fuerit. FLOR. II. 9. 25 habet *Fufidium*. OROS. V. 21 *Q. Catulum*.

fratrem, Antistium (adfert igitur eosdem atque Appianus); Flor.: Mucium Scaeuolam P.; Oros.: Q. Scaeuolam, C. Carbonem, L. Domitium, P. Antistium (plane cum Appiano et cum Velleio conuenit).

App. addit, cadauera in Tiberim esse proiecta; Oros.: „corpora interfectorum per carnifices unco tracta atque in Tiberim missa sunt."

Similiter App., Liv., Vell. tria proelia memorant, sed non eodem ordine: ad *Fauentiam*, ad *Placentiam*, ad *Clusium* (App.); ad *Clusium*, ad *Fauentiam*, ad *Fidentiam* = ad *Placentiam* [1]) (Liv., Vell.).

Victoriam ad Fauentiam reportat *Metellus* (App., Vell.), ad Placentiam (Fidentiam) *Lucullus* (App., Vell.).

Pugna ante portam Collinam cum Samnitibus apud App. *per totam noctem* durat.

Vell.: *post primam demum horam noctis* Romana acies respirauit, hostium cessit.

Apud App., Liv., Vell. Marius in cuniculum descendit.

Conuenit inter App. et Liv. de excessu Norbani.

Congruenter narrant mortem Carbonis in Sicilia App., Liv. [2]), Eutrop., Oros.

Cossyram insulam adpellant App., Liv., Oros.

Tantum obiter referunt dictaturam Sullae Liv.: „Sulla dictator factus"; Vell. „dictator creatus"; Oros.: „Sulla dictator creatus est."

---

[1]) Fidentia oppidum est ex propinquitate urbis Placentiae in Gallia Cispadana (cf. p. 121, not. 2). Velleius dicit: *circa* Fidentiam i. e. in propinquitate huius oppidi uel inter Placentiam et Fidentiam. Eandem igitur regionem in animo habent App., Liv., Vell. Cf. Schweigh., *App.* III. p. 718 sq.

[2]) Liv. per. LXXXIX dicit, Carbonem *muliebriter flentem* mortem tulisse. — Flor., II, 9, 26 fata Carbonis, aliorum raptim percurrit.

Consentit cum Appiano Vell. de equestri statua in rostris posita.

2. Dissentit App. a caeteris uocando Marium Iuniorem *non filium aduersarii Sullae*, sed *filium fratris* illius (cf. p. 108 not.).

Liv.: C. Marius C. Marii filius. Vell. distincte: C. Marius, VII consulis filius. Eutrop.: Marius Marii filius.

App., I. 87 init.: „τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους ὕπατοι μὲν ἐγενέσθην Παπίριός τε Κάρβων αὖθις καὶ Μάριος ὁ ἀδελφιδοῦς Μαρίου." Vell., II. 26 habet „Carbo III." Praue Appianus h. l. dicit, Carbonem consulem creatum esse in annum 82 *iterum*. Ipse enim habet I. 75 extr.: „Κάρβωνα εἵλετο (Κίννας) συνάρχειν ἑαυτῷ" (= Carbo consul I. a. 85); I. 78 med.: „οὕτω μὲν δὴ καὶ Κίννας ὑπατεύων ἀπέθανε", id. ibid. extr. „καὶ μόνος ἦρχεν ὁ Κάρβων" (= Carbo consul II. a. 84). Ergo recte Vell. l.l. tradit Carbonem a. 82 consulem fuisse III [1]).

Parua obseruatur discrepantia inter App. I. 87 init., Liv., per. LXXXVI, et Vell., II, 26 quod adtinet ad aetatem Marii; dicit enim Appianus: „ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν ἔτη γεγονώς", Liuius: „ante annos uiginti", Velleius: „annos natus uiginti sex".

App. I. 88: „Μάριος Βρούτῳ στρατηγοῦντι τῆς πόλεως ἐπέστελλε κτεῖναι Πόπλιον Ἀντίστιον κτλ." Liv., per. LXXXVI, Vell., II. 26, Oros., V. 20 ab Appiano differunt de nomine hominis: habent enim *Damasippum*, sed cum Appiano dicunt, eum fuisse praetorem. Videtur autem Brutus ille

---

[1]) Cf. Mommsen, *C. I. L.*, I. p. 439: a. Varr. 669 (= a. C. 85) Cinna III. Carbo. — a. Varr. 670 (= a. C. 84) Carbo II solus consulatum gessit. Cinna IV in m. occ. e. — a. Varr. 672 (= a. C. 82) Marius in m. occ. e. Carbo III in m. occ. e. — Cf. praeterea App., I. 96 extr. (Vid. p. 113 not. 2).

idem fuisse ac Damasippus [1]). Apud App. l.l. occisi sunt intra curiam Antistius et alter Papirius Carbo, in ipso limine Domitius, extra curiam Scaeuola. Non uero dicit, intra uel extra quam curiam haec facta sint. Liv. l.l. habet: „in uestibulo aedis Vestae"; Vell. l.l. „in Curia Hostilia"; Flor. l.l. „obsessa curia — quantum funerum in foro, in circo, in penetralibus templis! nam Mucius Scaeuola P. Vestalis amplexus aras"; Oros. l.l. „in curia."

3. In singulis numeris eorum, qui per proscriptiones occisi sunt, proferendis a se inuicem dissentiunt Appianus, Valerius Maximus, Florus, Orosius. Cum uero tabulae per multos menses paterent, singuli numeri, adcurate inter sese conlati, apud singulos scriptores conputandi sunt. Quo facto adparebit, inter eos scriptores re uera non exstare dissensum [2]). Appiano autem hac in re fidem non esse abiudicandam, iam supra uidimus (cf. prooem. p. 9, *not.* 12).

4. In morte Marii Iunioris tradenda non conspirant scriptores. App. I. 94 tantum factum memorat; Liv. per. LXXXVIII addit, saeptum eum esse ab exercitu cumque sentiret, se cuadere non posse, cum Pontio Telesino fugae comite utrinque stricto gladio concurrisse, quem cum occidisset, ipsum saucium a seruo ut se interficeret inpetrasse. De hoc Pontio nihil praeterea notat periocha. Nouimus ex App. I, 93, et e Vell. II, 27, ducem Samnitum huius nominis iam prius in proelio ad portam Collinam cecidisse. Addit uero Vell. ibid., Pontium illum fuisse fratrem minorem [3]) Telesini ducis. Apud eundem legimus,

---

[1]) Cf. Drumann, II, p. 463, *not.* 3; IV. p. 49, *not.* 14. — Mommsen, *R. G.* II. p. 321 not.

[2]) Cf. Mommsen, *R. G.*, II. p. 338, *not.*

[3]) Unde Mommsen, *R. G.*, II. p. 329, habeat: „der Consul Gaius

Marium interemptum esse ab hominibus, in foramine cuniculi dispositis. Narrat tamen, etiam esse, qui eum sua manu, et qui eum concurrentem cum Telesino mutuis ictibus interiisse rettulerint.

Eodem modo tradunt App., Liv., Vell., Marium mortem sibi consciuisse desperatis rebus post pugnam prope urbem.

Item quoque Oros., qui, quanquam tacet de cuniculis, tamen perinde ac Liuius illam mortem describit. Unus Eutrop., V, 8, res turbat, nam inuerso ordine prius dicit „(Sulla) Marium Praeneste persecutus obsedit et ad mortem conpulit", ac tum demum „rursus habuit pugnam ad portam Collinam".

5. App. I. 97: „εἰκόνα τε αὐτοῦ ἐπίχρυσον ἐπὶ ἵππου πρὸ τῶν ἐμβόλων ἀνέθεσαν καὶ ὑπέγραψαν ΚΟΡΝΗΛΙΟΥ ΣΥΛΛΑ ΗΓΕΜΟΝΟΣ ΕΥΤΥΧΟΥΣ [1]). ὧδε γὰρ αὐτὸν οἱ κόλακες, διευτυχοῦντα ἐπὶ τοῖς ἐχθροῖς, ὠνόμαζον· καὶ προῆλθεν ἐς βέβαιον ὄνομα ἡ κολακεία". Ergo ob continuos suos successus Sulla cognominatur *Felix*. Vell., II, 27: „de quo iuuene (Mario) quid existimauerit Sulla in promptu est; occiso enim demum eo Felicis nomen adsumpsit". Metuit igitur secundum Velleium Sulla tantopere Marium, ut prae gaudio animi ferme non compos, cum mortem hostis sibi nuntiatam audiuerit, Felicem tum demum se esse existimaret cognominarique iuberet. Idem hac de re cogitare uidentur Plut. *Sull.* 34: „καὶ ἐκέλευσεν ἑαυτὸν Εὐτυχῆ προσαγορεύεσθαι", atque Auct. *de uir. ill.*

---

Marius und *der Sohn* des Pontius stürzten sich einer in des andern Schwert", nescio. — Drumann, II. p. 468 dicit: „als er (Marius) sah, dass er nicht entrinnen konnte, beschloss er mit Pontius Telesinus, *dem jüngeren Bruder* des früher erwähnten, sich gegenseitig zu durchbohren."

[1]) Cf. p. 113, *not.* 3.

l.l.: „Mario Praeneste interfecto Felicem se edicto appellauit".

Equidem potius sequor Appianum, dicentem, propter rerum gestarum successus adulatores Sullam uocasse felicem eique eam adulationem in perpetuum cessisse cognomen.

App. I, 100—106, saepissime differt a Plut., *Sull.* 35—38. Tacet Plutarchus de legibus Corneliis, Appianus de Valeria, quinta Sullae uxore. Apud Plutarchum Sulla morbo moritur pediculari; apud Appianum in praediis Cumanis degit, nulla aduersa ualetudine oppressus. Quiete Appianus eum obeuntem facit in uilla, febri tantum correptum. E Plutarcho etiam sequi uidetur, eum extra urbem mortuum esse, uerisimiliter Puteolis [1]). Insomnium, quod et Appianus memorat, Plutarchus copiose inlustrat. Cognita est utrique rixa de iustis faciendis. Appianus non dicit, quisnam laudationem pro rostris habuerit [2]); apud Plutarchum Pompeius iusta facit [3]). De monumento in Martio Campo Appianus silet [4]).

Pauca sunt, quae Liv., per. LXXXIX sq.; Vell., II. 30; Auct. *de uir. ill.* 76 extr.; Eutrop., V. 9; Oros., V. 22 init. his de rebus notarunt.

Conspirant inter se Appianus et periocha de numero lictorum, de legibus Corneliis (partim), de Lucretio Ofella

---

[1]) Cf. Plut., *Sull.* 37 sq. — Drumann, II, p. 497 sq.

[2]) App. I. 106 extr.: „*τοὺς μὲν ἐπιταφίους λόγους εἶπεν ὁ κράτιστος εἰπεῖν τῶν τότε.*"

[3]) Cf. Plut., *Sull.* 38.

[4]) Dicit quidem App. I. 106 extr.: *τὸ δὲ λέχος ὑποδύντες ἀπὸ τῆς βουλῆς ἄνδρες εὔρωστοι διεκόμιζον ἐς τὸ πεδίον τὸ Ἄρειον, ἔνθα βασιλεῖς θάπτονται μόνοι*"; sed de monumento nihil legitur.

interfecto [1]), de legionibus in agros deductis [2]), de Sulla in Campo sepulto [3]).

Inter Appianum et Velleium conuenit de tribunatu, a Sulla ad imaginem inanem redacto [4]).

Quod adtinet ad phthiriasin, congruit sane Auctor de uir. ill., eius morbi mentionem faciens, cum Plutarcho; pugnat cum Appiano [5]).

Concinit Appianus cum Eutropio in triumpho Sullae de Mithradate memorando [6]), cum Orosio de reditu Sullae ad uitam priuatam Seruilio Claudioque coss. factis [7]).

---

[1]) Ad uerbum fere App. cum Liv. conuenit:

App. I. 101.

„(Σύλλας) δ' ἦν οὕτω φοβερὸς ὡς καὶ Κόιντον Λουκρήτιον Ὀφέλλαν, ὑπατεύειν ἔτι ἱππέα ὄντα, πρὶν ταμιεῦσαι καὶ στρατηγῆσαι, ἐν ἀγορᾷ μέσῃ κτεῖναι. καὶ συναγαγὼν τὸ πλῆθος ἐς ἐκκλησίαν εἶπεν: „ἴσε μὲν ὦ ἄνδρες, καὶ παρ' ἐμοῦ δὲ ἀκούσατε, ὅτι Λουκρήτιον ἐγὼ κατέκανον ἀπειθοῦντά μοι".

Liv. per LXXXIX.

„Q. Lucretium Ofellam, consulatum aduersus uoluntatem suam petere ausum, iussit occidi in foro; et cum hoc indigne ferret populus Romanus, contione aduocata se iussisse dixit" (cf. Plut., *Sull.* 33).

[2]) Parua discrepantia obseruanda est quod ad numerum adtinet. App. I. 100 extr. habet uiginti tres, Liv. per. LXXXIX uiginti septem.

[3]) Per. XC: „Sulla decessit honosque ei a senatu habitus est, ut in Campo Martio sepeliretur".

[4]) App. I, 100: „τὴν δὲ τῶν δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν". Vell. II, 20: „cuius (tribuniciae potestatis) Sulla imaginem inanem reliquerat". — Per. LXXXIX habet: „tribunorum plebis potestatem minuit, et omne ius legum ferendarum ademit".

[5]) Plut., *Sull.* 36. — App., I. 104. — Auct. *de uir. ill*, 76 extr.

[6]) App., I. 101. — Eutrop., V. 9. Cf. Plut., Sull. 34.

[7]) App., I. 103: „ὁ δὲ ὑπάτους μὲν αὐτοῖς ἀπέφηνε Σερουί-

Denique ut breuiter conligam, quae modo demonstrare conatus sum, App. *B. C.* I. 79—106 et Plut. *Sull.* 27—38 e diuersis fluxerunt auctoribus. Repetiuit ille sua ueri-similiter e Liuianis Historiis.

---

*λιον Ἰσαυρικὸν καὶ Κλαύδιον Πουλχρον, αὐτὸς δὲ τὴν μεγάλην ἀρχὴν ἑκὼν ἀπέθετο*". Id. l.l. extr.: „*ὁ Σύλλας ἑαυτὸν ἀπέφηνεν ἰδιώτην*". — Oros. V. 22 init.: „creatis P. Seruilio et Ap. Claudio consulibus uisus est tandem Sulla priuatus"

# CONCLUSIO.

Quatenus pertinet ad *Bellum Iugurthinum* et ad *Res Gallicas* Plutarchi „Vita Sullae" ex huius commentariis fluxit. De auctore Appiani, res gestas Sullae in *Bello Iugurthino* narrantis, nihil statui potest. Crediderim, eum non inspexisse Sallustium. In *Rebus Gallicis* tractandis usus esse uidetur Liuio et Caesare alioue scriptore, cui Caesar fuit auctor. Fortasse Iuba Appiani narrationi subest.

De Sulla in *Bello Sociali* scribens Plutarchus Sullae commentarios contulit quibusdam ex aliis scriptoribus inspersis, Appianus Liuii libros.

Res Sullanas in *Bello Mithradatico* Plutarchus ex ipso Sulla duxit perpaucis aliunde desumptis, Appianus uero, quod ad priorem belli partem adtinet, e Posidonio. In describenda posteriore parte belli, itaque post pugnam Orchomeniam, neque Liuii neque Sullae libri ab Appiano adhibiti sunt. E quonam hauserit, in medio relinquitur.

Quae Plutarchus de *Bello Ciuili* in „Vita Sullae" habet maximam partem e Sullae commentariis manarunt, quae de hoc bello in „Vita Marii" leguntur partim ad Liuium, partim ad Posidonium redeunt. Appianus, res gestas Sullae in *Bello Ciuili* tradens, Liuium in promptu habuit. Ex eodem hausit quae de Sulpicio atque de erroribus Marii enarrat. In ultima uero parte uitae Marii exponenda Posidonium usurpauit. Cum autem Appianus nusquam inspexerit Sullae libros, Plutarchus contra fere ubique eos adhibuerit, fide atque auctoritate ille huic praestare uidetur.

# THESES.

# THESES.

I.

Appianus uitam Sullae enarrans non ex uno eodemque semper hausit auctore.

II.

Maior fides habenda est Appiano in rebus Sullanis exponendis quam Plutarcho.

III.

PLUT. *Sull.* 12 extr. „οἱ δὲ τότε στρατηγοὶ βίᾳ τὸ πρωτεῖον, οὐκ ἀρετῇ, κτώμενοι, καὶ μᾶλλον ἐπ' ἀλλήλους δεόμενοι τῶν ὅπλων ἢ τοὺς πολεμίους, ἠναγκάζοντο δημαγωγεῖν ἐν τῷ στρατηγεῖν, εἶθ' ὧν εἰς τὰς ἡδυπαθείας τοῖς στρατευομένοις ἀνήλισκον ὠνούμενοι τοὺς πόνους αὐτῶν, ἔλαθον ὤνιον ὅλην τὴν πατρίδα ποιήσαντες κτέ."

ita conuenit cum

SALL. *Cat.* 11, 4 sqq. „sed postquam L. Sulla armis

recepta re publica bonis initiis malos euentus habuit, rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere, neque modum neque modestiam uictores habere, foeda crudeliaque in ciuis facinora facere. huc adcedebat quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductauerat, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat e. q. s.",

ut de fonte Plutarchi non dubitandum esse uideatur.

## IV.

Claudius, ab App. *Gall.* I. 3 (ed. Mendelssohn 1879, uol. I. p. 46) falso Paullus cognominatus, Q. Claudius Quadrigarius esse uidetur.

## V.

Utrum opus prius scriptum sit, Μιθραδάτειος an ἐμφύλια, ex ipso Appiano conligi nequit.

## VI.

Iure Adolf Schmidt, *das Perikleische Zeitalter*, 1877, I. p. 279, dicit: „Der Kimonische Friede ist allerdings eine Fabel; — — — der Friede des Kallias dagegen ist eine vollkommen sichere Thatsache, die sich nach der Schlacht beim kyprischen Salamis 449 vollzog."

## VII.

Plut. *Sull.* 5 (ed. Sintenis, Tbn., 1879, uol. II, p. 421) „Σύλλας ἐπὶ στρατηγίαν [πολιτικὴν] ἀπεγράψατο."

Delendum quod uncinis inclusi.

## VIII.

App. *B. C.* I, 99 (ed. Mendelssohn, Tbn. 1881, uol. II, p. 664) „οὕτω μὲν δὴ Ρωμαῖοι, βασιλεῦσιν ὑπὲρ τὰς ἑξήκοντα (coni. Schwgh. pro ἑκατὸν) ὀλυμπιάδας χρησάμενοι, ἐπὶ δ'ἐκείνοις δημοκρατίᾳ τε καὶ ὑπάτοις ἐτησίοις προςάταις ἐς ἄλλας ἑκατὸν ὀλυμπιάδας, αὖθις ἐπειρῶντο βασιλείας, ὀλυμπιάδων οὐσῶν ἐν Ἕλλησιν ἑκατὸν ἑβδομήκοντα πέντε, καὶ οὐδενὸς ἐν Ὀλυμπίᾳ τότε ἀγωνίσματος πλὴν ςαδίου δρόμου γιγνομένου."

Pro ὑπὲρ τὰς leg. ἐς.

Pro ἐς ἄλλας ἑκατὸν leg. ὑπὲρ τὰς ἑκατὸν.

Pro πέντε, καὶ leg. καὶ τεσσάρων,

## IX.

Athen. XIV, p. 657 f. (ed. Schwgh. Argentor., 1805, tom. V, p. 394): „λέγει γὰρ (ὁ Στράβων) αὐτὸν ἐν τῇ ἑβδόμῃ τῆς αὐτῆς πραγματείας ἐγνωκέναι Ποσειδώνιον, τὸν ἀπὸ τῆς ςοᾶς φιλόσοφον, οὗ πολλάκις μεμνήμεθα < > συγγενομένου Σκιπίωνι τῷ τὴν Καρχηδόνα ἑλόντι."

Delendum αὐτὸν, uel transpon. post πραγματείας, uel leg. αὐτός. Inserenda post μεμνήμεθα haec verba: μαθητοῦ Παναιτίου, τοῦ

## X.

Thuc. III, 116, 1 „ἐρρύη — ἐν τῇ Σικελίᾳ" sic lego (expunctis ὥσπερ καὶ τὸ πρότερον): „ἐρρύη δὲ περὶ αὐτὸ τὸ ἔαρ τοῦτο ὁ ῥύαξ τοῦ πυρὸς ἐκ τῆς Αἴτνης, ὅπερ μέγιςόν ἐςιν ὄρος ἐν τῇ Σικελίᾳ. καὶ γῆν τινα ἔφθειρε τῶν Καταναίων, οἳ ὑπὸ τούτῳ τῷ ὄρει οἰκοῦσιν."

## XI.

Thuc. V, 65, 3 „τῇ [ἐξ ὀλίγου] αἰφνιδίῳ αὐτῶν ἀναχωρήσει."

ἐξ ὀλίγου, glossema e cap. 64. 4 adscriptum, deleatur.

## XII.

Thuc. V, 69, 2 „τοῖς μὲν Ἀργείοις καὶ ξυμμάχοις τοιαῦτα παρηνέθη, Λακεδαιμόνιοι δὲ καθ' ἑκάστους τε καὶ μετὰ τῶν πολεμικῶν νόμων ἐν σφίσιν αὐτοῖς ὧν ἠπίσαντο τὴν παρακέλευσιν τῆς μνήμης ἀγαθοῖς οὖσιν ἐποιοῦντο."

Hic locus ita mihi legendus esse uidetur: „τοῖς μὲν Ἀργείοις καὶ ξυμμάχοις τοιαῦτα παρηνέθη, Λακεδαιμόνιοι δὲ καὶ οἱ ξύμμαχοι, μετὰ τῶν πολεμικῶν νόμων, οἷς καθ' ἑκάστους ἐχρήσαντο, ἐν σφίσιν αὐτοῖς τὴν παρακέλευσιν τῆς μνήμης ἀγαθοῖς οὖσιν ἐποιοῦντο."

## XIII.

Falso *Schol.* ad Thuc. V, 69, 2 explicat νόμων: „νόμους πολεμικοὺς λέγει τὰ ἄσματα, ἅπερ ἦδον οἱ Λακεδαιμόνιοι μέλλοντες μάχεσθαι. ἦν δὲ προτρεπτικά. ἐκάλουν δὲ ἐμβατήρια."

## XIV.

Soph. *Ai.*, 461 (ed. Nauck, Haupt u. Sauppe Weidm. 1871, P. I. p. 106): „μόνους τ' Ἀτρείδας κτέ."

Pro μόνους leg. ἀνόμους.

## XV.

Soph. *Ai.*, 798 sq. (l. l. p. 132): „τήνδε δ' ἔξοδον ὀλεθρίαν
Αἴαντος ἐλπίζει φέρειν."
Pro φέρειν leg. πέλειν.

## XVI.

Soph. *O. C.*, 92 (l. l. 1875, P. III, p. 44):
„κέρδη μὲν οἰκήσαντα τοῖς δεδεγμένοις."
Pro οἰκήσαντα leg. εἰσοίσοντα.

## XVII.

Eur. *Ion.*, 993 (Poet. Scen. Gr., ed. V, Dind. Tbn. 1869, III, p. 194):
„θώρακ' ἐχίδνης περιβόλοις ὡπλισμένον"
Pro ἐχίδνης περιβόλοις scribatur ἐχιδνῶν πλεκτάναις.

## XVIII.

Eur., *Alc.*, 427 (ed. Rudolf Prinz, Tbn. 1879, p. 22):
„κουρᾷ ξυρήκει καὶ μελαγχίμοις πέπλοις."
Pro κουρᾷ lege κάρᾳ.

## XIX.

Cic., *Phil.*, II, 4, 7: „Quis enim unquam, qui paullum modo *bonorum consuetudinem* nosset, litteras ad se ab amico missas offensione aliqua interposita in medium protulit palamque recitauit?"
Pro *bonorum consuetudinem* leg. *bonum morem ac consuetudinem* uel *bonum morem consuetudinemque.*

## XX.

Nihil mutandum censeo in Hor. *ad Pison.* 310: „Rem tibi Socraticae poterunt ostendere cartae."

Non igitur legendum est cum Alphonso Heckero et Aemilio Baehrensio (*Miscell. crit.*, 1879, p. 46, 65) *Is*ocraticae cartae.

## XXI.

Liv. I, 17, 5 (ed. Weissenborn, Bibl. Teubn. 1879, P. I, p. 19) legitur: „*decem* imperitabant, unus cum insignibus imperii et lictoribus erat; *quinum* dierum spatio finiebatur imperium ac per omnes in orbem ibat."

Crediderim, scribendum esse aut *decem* — *quinque*, aut *deni* — *quinum*.

## XXII.

Tac., *Ann.*, VI, 12 „post exustum *sociali* bello Capitolium."

Pro *sociali* leg. *ciuili*.

## XXIII.

Iuvenal. 7, 23 sq. „croce*a* membrana tabell*a*
imple*tur*, lignorum aliquid posce ocius et quae."

Scriptum esse conicio crocea — tabella = croce*am* — tabell*am*; tum „imple*tur*, lignorum" mutandum est in „impl*et*, *tu* lignorum."

## XXIV.

Iul. Obseq., 118: „*Aeditui* Capitolium una nocte conflagravit."

*Aeditui* mihi deprauatum uidetur e duobus aliis uocabulis; latet, credo, in „aeditui" *aedes Iouis* (AEDI — T — VI = AEDESIOVIS), quare locus ita legatur: „*Aedes Iouis Capitolini* una nocte conflagravit."